



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quæstiones Canonicae De Decimis

Friderich, Melchior

Ingolstadii, 17010 [i.e. 1710]

Caput II. De Exemptis per Privilegium ab onere Decimarum[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61677)

specu Prælati, pupilli respectu tutoris &c. cum ergo à favore, & privilegio singulari, & respectu paucorum concessio, argumentum duci non possit ad favorem universalem respectu plurimarum & personarum & bonorum, consequens est,

eos non bene argumentari, qui ex privilegio Ecclesiæ, dotis, pupilli &c. concessio solum contra paucos debitores, & pecularia tantum bona, inferunt privilegium latissime patens adversus omnes fideles, & omnia eorum bona.

CAPUT II.

De Exemptis per Privilegium ab onere Decimarum.

QUÆSTIO I.

An privilegio eximi quis possit à Decimis?

SUMMARIUM.

- | | |
|------------------------------------------------------------------------------|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| 152. Ordo Doctrina. | 162. Facta exemptio, etiam sine causa, valida est, si aliunde sustentatur Clerus. |
| 153. Modi acquirenda immunitatis à decimis, & capita controversa. | 163. Tutus est in conscientia, cui sic concessa est exemptio. |
| 154. Videtur, præceptum de decimis universim tolli non posse. | 164. Prælati SS. Pontifice inferiores nequeunt eam concedere, absque privilegio vel consuetudine legitime præscripta. |
| 155. Tolli valide potest, si aliunde Clerici congruam sustentationem habent. | 165. Possunt tamen decimas sibi debitas ex justa causa remittere, & decretum super transactione interponere. |
| 156. Non tamen licite. | 166. Nequeunt ista Principes seculares. |
| 157. Responsio ad contraria. | |
| 158. Exemptionem etiam laicis concedere potest SS. Pontifex. | |
| 159. Si aliunde provisum est Clero. | |
| 160. Oppositio. | |
| 161. Dissolvitur. | |
152. Innocentius III. cum c. 24. h. t. dixisset, quemlibet teneri decimas solvere, mox addit: nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus. Et infra Nisi ab eis (qui dant, & recipiunt possessiones ad firmam)

firmam) ostendatur, quare ab huiusmodi sint immunes. Igitur licet singuli fideles Jure communi ad solvendum decimas sint obligati, possunt tamen certis rationibus hoc onere liberari. Unde quia præcapite de ista obligatione egi, ordo doctrinæ exigere videbatur, ut mox agerem de modis illà se obligatione liberandi, deque personis, quæ modò liberæ, ac exemptæ sunt. Quid enim aptum magis, quàm ut ubi dixeris de ijs, qui oneri subiecti sunt, mox addas eos, qui ab eodem sunt immunes?

153 Modi porrò acquirendæ immunitatis à solvendis decimis communiter isti enarrantur: *Privilegium, Consuetudo, Prescriptio, Transactio, Compensatio, Remissio gratuita*: quos ordine, & distinctis ferè capitibus examinabimus, faciendo initium à Privilegio, quod si non est modus se eximendi amplior cæteris, ac faciliior, primas saltem tenet ex causa efficiente. Tria autem hîc potissimum controversa sunt. I. An & à quo hoc privilegium concedi possit? II. Quibus? III. Quo modo?

154 Circa I. Quæstionem multi ex antiquis Canonistis docuerunt, SS. Pontificem non posse universalem immunitatem dare, seu, non posse universim, ac simpliciter tollere præceptum de solvendis decimis, sed tantum posse privilegium immunitatis huic vel illi particulari personæ concedere. Ita tenent

Glossa in cit. c. à nobis, & Hostiens. Joan. Andr. Panorm. ac alij, in c. 24. 10. 11. & 12. eod. Quibus accedere videtur Covarr. l. 1. var. c. 17. n. 9. dicens: non posse in universum à summo Ecclesia Principe præceptum hoc tolli, verum esse censemus. Nec non Guttier. can. 99. c. 21. n. 30. & Sotus l. 9. de Just. q. 4. n. 1. Rationem antiqui Canonistæ dant: tum quia præceptum de decimis est divinum, ac idcirco non potest in totum abrogari à Pontifice: tum quia Deus illas sibi reservavit in signum universalis sui dominij, juxta c. 26. h. r. Atqui Pontifex non potest facere, ut fideles non recognoscant Deum, ut universalem Dominum.

155 Assert. I. SS. Pontifex præceptum de decimis totum, ac respectu omnium fidelium, validè tollere potest: dummodo Ministri Ecclesiæ aliunde habeant congruam suam sustentationem. Ita Suar. tom. 1. de Relig. l. 1. tr. 2. c. 14. n. 9. Gabr. Vasq. tr. de Benef. c. 1. n. 23. Azor. p. 1. l. 7. c. 26. q. 6. Palao tr. 10. disp. 100. pun. 3. n. 2. ac alij communiter. Ratio primæ partis est: quia hoc præceptum de decimis est Juris solum Ecclesiastici. Atqui SS. Pontifex potest auferre totum præceptum Ecclesiasticum; sicut quilibet Legislato saltem validè abrogare potest legem, quam tulit vel ipse, vel alius, cui in pari Jurisdictione ipse succedit, ut tanquam certum tenent Th. Th. cum S. Thom. 1. 2. q. 97. a. 1. & Juristæ in l. un. c.

un. C. de Caduc. toll. & in l. 1. as 2. ff. de Constit. Princ. Ratio limitationis additæ est: quia jure Naturali, ac Divino ministris Ecclesiæ debetur impensi laboris justa merces, eaque fructuum pars, quæ ad ipsos honestè alendos necessaria est.

156 **Affert. II.** SS. Pontifex præceptum de decimis totum, seu respectu omnium fidelium abrogare licitè non potest, tametsi eo sublato Ministri Ecclesiæ aliunde haberent honestam sustentationem. Sic sentio cum Suar. *l. c. n. 10.* & Palao *l. c.* ac re ipsa idem videntur tenere omnes Theol. ac Canonistæ. Ita intelligendi sunt Covarr. Sotus, & Guttier. hoc enim duntaxat probant, quas afferunt, rationes. Rationes sunt: quia talis abrogatio non esset dispensatio, sed dissipatio honorum Ecclesiasticorum. Nam cederet in gravissimum damnum totius Ecclesiæ, cujus interest, ut loquitur Covarr. *cit. n. 9.* Spirituum ministris inopes non esse. Neque hoc damnum solum temporale, sed spirituale quoque foret: quia cultus Divinus maximam partem minueretur, ac indecenter, & sine debito honore, ornatu, & ordine fieret: tum quòd Ecclesiasticæ personæ vilescerent, essentque laicorum mercenarij, ac propterea tam ipsi, quàm sacri ipsorum labores contempti; tum quòd tenuiter ac parcè ipsis alimenta ministrarentur, sicque parem modico stipendio operam, id est, modicam &

perfunctoriam, præstarent; debitâ insuper auctoritate ac libertate destituti, & facultate, pauperibus, quorum patres esse debent, subveniendi, ut benè observat Suar. *l. c.* Hinc nunquam fiet, ac probabilissimè neque fieri potest hæc abrogatio, cum ad providentiam Spiritus sancti pertineat, ita regere Christi in terris Vicarium, ut non erret, saltem cum notabili ac universalis damno Ecclesiæ, quale ex abrogatione hujus præcepti nasceretur.

Ad I. rationem I. assertionis *n. 154.* oppositam, patet responsio *n. 37.* ubi asserui, præceptum de decimis in Lege Nova non esse Juris Divini, sed solum Ecclesiastici. Altera quoque ratio de recognoscendo dominio Dei universali per decimarum oblationem, nullum in Jure Divino, vel Naturali vel Positivo fundamentum habet. Neque enim Natura præcipit, ut speciali hac ratione, videl: oblatione Decimarum, Deum colamus; neque in Lege Gratiæ Christus eam præcepit, sed modum longè sublimiorem, nim. Sacrificium Missæ & Sacramenta.

Affert. III. SS. Pontifex aliquibus, etiam laicis, immunitatem à decimis concedere potest. Ita tenent omnes DD. etiam illi, qui docent, decimas Jure Divino deberi. Hi porrò, quando objicitur, SS. Pontificem nihil contra Legem Divinam statuere posse, respondent, non

non posse quidem ab illo hanc legem tolli, posse tamen cum certis personis in ea dispensari. Quæ responsio solidè confutatur à Covarr. cit. c. 17. n. 8. Suar. c. 14. n. 6. & 7. Moneta c. 5. n. 52. De Clericis patet assertio veritas ex c. 3. 4. 8. 9. 10. 11. 24. 27. & 34. h. t. c. 2. §. 1. & 2. eod. in 6. C. ult. ut lite pend. c. 6. 1. 5. & 31. de Privil. ubi hæc immunitas quibusdam Religiosis, & Clericis partim conceditur, partim concessa esse supponitur. De laicis constat tum ex c. 2. de Eccl. adif. tum ex praxi Ecclesiæ, quæ hæcenus multis Laicis non tantum privilegium decimas non solvendi, sed ipsum etiam jus colligendi concessit. Ratio est: quia præceptum de solvendis decimis duntaxat humanum est, & idcirco per potestatem Ecclesiasticam, per quam datum est, derogari ipsi potest, & aliqui ejus obligatione liberari.

159 Limitanda assertio est, uti priores, ad casum, quo concessa immunitate congrua sustentatio remanet Clero sive ex aliorum decimis sive ex alijs redditibus Beneficialibus: si enim illa deficeret ex mea immunitate, hujus concessio foret invalida; cum mens concedentis non sit me immunem reddere, nisi salvo illo, quod Clero debetur vi Juris & Naturalis, & Divini positivi: imò si alia ipsius mens esset, ea tamen concessionem validam non redderet, cum in dictis Juribus potestas humana nequeat dispensare.

Verùm ex dictis assertio sic impugnari potest. Præceptum de alendis Ministris sacris est Juris Naturalis, & Divini, & quilibet fidelium, cui divina ministrantur, ad illos alendos pro rata tenetur concurrere, sicut ad tributa, & vectigalia pro alendo Principe, & sustinendis Republicæ oneribus. Ergo decimæ remitti privilegio non possunt saltem quoad illam partem, ad quam quilibet pro dicto fine, etiam cessante præcepto Ecclesiastico, ad decimas obligante, teneretur. Idem argumentum formari potest de Consuetudine, & Præscriptione, quibus immunitatem à decimis acquiri posse mox dicam.

R. Obligatione alendi Ministros sacros Jure Naturæ ac Divino non teneri singulos, nisi quando concursus singulorum ad illa alimenta est necessarius. Unde si illa jam habentur ex aliorum decimis, non tenebor ego nisi præcepto Ecclesiastico, & consequenter obligatione per privilegium eximi potero. Imò nec tota communitas illo præcepto Divino tenebitur, si Ministris sacris absque ulla decimarum pensatione ex alijs redditibus beneficialibus sufficienter provisum est. Poterit ergo in tali casu tota communitas obligatione dandi decimas, vel privilegio, vel consuetudine liberari. E contrario si Clericus Divina ministrans redditus aliunde non habet, sed à communitate alitur, singulis ad id pro rata concurr-

ren-

rentibus (uti quandoque contingit, quando Parochis Cooperatores adduntur, vel Primissarij, ut vocant) aut quando decimæ, quas dant alij, ad alimenta non sufficiunt, liberari à contributione neque à SS. Pontifice possunt; cum enim Justitia postulet, ut distributio sit æqualis, eadem exigit, ut ego quoque pro rata concurram: hac autem ratione ille me liberare non potest, quia alios contra Justitiam non potest onerare. Quando verò ad dictam sustentationem sufficiunt decimæ à parte communitatis solutæ, unum vel plures eximendo, reliquis, quos non eximit, injuriam non facit, quia propter exemptionem aliquorum reliqui non plus dant, quam daturi essent, si nemo esset exemptus, sed solum id, ad quod ex præcepto Ecclesiæ tenentur, etiam quando nemo est exemptus.

162. Assert. IV. Quando SS. Pontifex unum vel plures, etiam laicos, imò etiam integram communitatem obligatione decimarum sine legitima causa eximit, valida est concessio, tutique in conscientia sunt, qui eximuntur: dummodo aliunde sufficienter provisum sit Ecclesiæ Ministris, & reliqui fideles non onerentur ultra id, ad quod aliàs tenentur. Ita sentio cum Suar. *l. c. c. 15. n. 2.* Gabr. Vasq. *l. c. n. 23.* contra Anton. *in c. 24. b. t.* Panorm. *ibid.* Covarr. *cit. c. 17. n. 9.* ubi ait, etsi exemptio sine causa facta valeat, peccare tamen, tam

eum, qui illam concedit, quam illum, qui utitur. Quam opinionem falsam esse dicit Vasq. *l. c.* & communiter alij eam reprobare videntur, dum absolute asserunt, Pontificem eximere quoscunque fideles posse à solutione decimarum, dummodo id fiat sine præjudicio Juris naturalis de alendis ministris Ecclesiæ. Quòd talis concessio valida sit, patet ex dictis *n. 155.* quia non est contra Jus Naturale vel Divinum, neque est contra jus tertij. Sed neque agitur contra jus illius Ecclesiæ, cui ante immunitatem obtentam solveram decimas, aut cui solvendæ forent ex novalibus, nisi pro his exemptionem obtinuisssem. Ecclesiæ enim non habent jus eas colligendi, nisi supposito præcepto Ecclesiastico, & contra eos, qui hoc præcepto sunt obligati. Neque habent aliquod jus, ut hoc præceptum non tollatur. Poterit ergo vel tolli omnino, vel ex parte respectu aliquorum, illòque sublato nullum amplius competit jus Ecclesijs adversus fideles exemptos, nullaque his erga illas incumbit obligatio, utpote quæ tota nascitur ex præcepto Ecclesiastico, quo tamen ipsi per privilegium sunt exempti.

Quòd verò in Conscientia tutus sit, cui immunitas concessa est valide, quamvis illicite, tradunt post Innoc. Card. Durand. Pallac. Aragon. Angel. Adrian. ac alios, Navarr. *Man. c. 12. n. 47.* Gigas de Pension.

fiom. q. 6. n. 13. Em. Rodr. qq. reg. q. 22. a. 4. Suar. l. 6. de Leg. c. 19. Vasq. 2. p. de Leg. d. 178. c. 4. Salas d. 20. sect. 4. n. 37. alique complures, quos refert Matth. de Moya in select. tr. 6. q. 1. à n. 1. dum universim tenent, in usu dispensationis illicitè concessæ peccatum non intervenire. Rationem dant: quia nec peccatur contra legem positivam, quæ jam non est; neque contra naturalem, quia dispensatus non tenetur jure naturæ se alijs conformare. Et quamvis non pauci, quos refert, & sequitur Sanch. l. 8. d. 18. n. 11. & de Moya l. c. n. 8. contrarium teneant: plerique tamen peccatum solum veniale agnoscunt, & lethale non esse certum esse existimant idem Sanch. n. 12. & Suar. cit. n. 14. Il in super, qui peccatum committi à privilegiato censent, non dicunt, quòd peccet contra legem, vel præceptum, à quo per privilegium exemptus sine justa causa fuit; sed solum, quòd contra rectam rationem, & legem naturæ, dictantis, neminem debere absque justa causa à suo toto discrepare. Quam ob causam etiamsi peccaret, non tamen propterea tributum v. g. vel vectigal, à quo immunitatem sine causa accepit, solvere tenebitur, quia is, cui illa pensio debebatur, illam reverà remisit, & validè suo jure cessit, quamvis prodigè, ac illicitè.

164 Asser. V. Episcopi aliique Ecclesiæ Prælati SS. Pontifice inferiori

res non possunt quemquam ab onere decimarum eximere, nisi speciali facultate ab illo concessa polleant, aut consuetudine legitime præscripta eam obtinuerint. Ita Rebuff. q. 5. n. 28. & 32. Fagundez l. 5. præc. 5. c. 4. n. 6. Moneta c. 5. n. 40. Barbosa cit. c. 28. §. 3. n. 49. nemine, ut existimo, dissentiente, nisi fortè Andr. Hispano tr. de Decim. q. 11. n. 1. prim. Ratio patet, quia hoc præceptum est commune toti Ecclesiæ, & à summis Ecclesiæ capitibus, tam SS. Pontificibus, quàm Concilijs latum, & ab his certæ singulis Ecclesijs decimæ assignatæ c. 1. 13. q. 1. fuitque specialiter statutum in Concil. Mogunt. (non Cabilonensi, ut Gratianus can. 41. 16. q. 1. refert) ut Ecclesia antiquitus constituta nec decimis nec alijs possessionibus priventur. Quod etsi Provinciale tantum fuerit, approbatum tamen videtur usu & praxi universæ Ecclesiæ. Atqui inferior non potest dispensare in legibus superioris, c. 16. de Major. & Obed. Clem. 2. de Elect. nisi id ipsi à superiore concessum sit: nullibi autem legimus, Episcopis vel alijs Prælati facultatem in hac Ecclesiæ lege dispensandi concessam esse.

Potest tamen Episcopus ex justa causa remittere decimas sibi debitas. c. 22. de Privil. Potest quoque in compositione super solutione decimarum suum consentum, & decretum interponere, ut patet ex c. 2. de transact.

K

Assert.

166 *Affer. VI. Nullus Laicus immunitatem à decimis concedere potest. Ita Innoc. III. c. 25. h. t. ibi: cum laicis nulli sit de spiritualibus concedendi vel disponendi facultas.*

Imperialis potestas, quantumcunque generaliter fiat, neminem potest à solutione decimarum eximere, qua Divina Constitutione debentur.

QUÆSTIO II.

Privilegium non solvendi decimas sitne latè an stricte interpretandum?

SUMMARIUM.

167, 168, 169. *Rationes pro lata interpretatione.*

170, 171. *Est stricta interpretationis, tametsi Regularibus concessum & Furi communi insertum.*

172. *Ita tamen, ut à proprio verborum sensu non recedatur.*

173. *Stricte interpretandum est privilegium, quod est contra Jus commune aut tertij.*

174. *Tametsi Furi communi insertum sit.*

175. *Aut concessum in favorem Religionis, piæ causæ.*

167 **Q**uousque se extendat hoc privilegium, si absolute & sine aliqua expressa limitatione conceditur, hic indagandum est. Varia dubia oriuntur. Primum est generale, an hoc privilegium strictæ, an latæ interpretationis sit. Latæ esse, suaderi potest I. *Quia Beneficium Imperatoris, quod à divina scilicet, ejus indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus, ut ait JCrus l. 3. ff. de Const. Prin.* Eadem autem est ratio de summo Principe in sacris; quod enim Imperator est in temporalibus, hoc SS. Pontifex in Ecclesiasticis. Universum favor semper am-

pliandus est. *l. hoc modo ff. de Condit. & Dem. l. Cum quidam ff. de Liber. & posth.* Quod maxime verum est, quando privilegium motu proprio vel ex certa scientia concessum est: tunc enim latè explicandum est, quamvis sit contra jus commune, juxta c. 23. de Preb. in 6. quia privilegium sic concessum est proprium beneficium Principis, ac proinde tum propter ejus liberalitatem, tum in ejus honorem convenit fieri liberiolem interpretationem, ut post Anton. Host. Dec. Joan. Andr. Felin. Alex. de Nevo, Rebuff. ac alios tradunt Gabriellus l. 10. concl. 2. à n. 61. Suar. l. 8. de Leg. c. 27.

c. 27. n. 8. Salas *diff.* 20. *sect.* 10.
n. 89. Bonacina *d.* 1. q. 3. *pun.* 7. §. 1.
n. 7. Sanch. *de Matr.* l. 8. d. 1. n. 5.
& 6. Palao *rr.* 3. d. 4. *pun.* 10. n. 7.

168 II. Privilegium cedens in favorem religionis aut piæ causæ latè explicandum est, tamen si deroget juri communi, ut docent Tiraq. *tr. de pia caus.* n. 160. Suar. *l. c.* n. 7. Salas *sect.* 8. n. 52. & *d.* 20. n. 90. Sanch. *l. c.* n. 33. Em. Rodriq. *tom.* 1. *qq. reg.* 9. II. a. 6. ac passim alij: quia, ut ait Papin. *l. 43. de religiof.* & *sumpt. fun.* Summa est ratio, quæ pro religione facit. Ergo illa saltem exemptio latè interpretanda est, quæ Monasterijs, & Ecclesijs conceditur.

169 III. Interpretandum latè est privilegium, quod juri communi insertum est. Ita Suar. *l. c.* n. 8. Bonacina *l. c.* Sanch. *l. c.* n. 7. Palao *l. c.* n. 7. ergo saltem illa à decimis solvendis immunitas latè interpretationis est, quæ juri communi inserta est, uti insertæ sunt aliquæ immunitates Religiosis concessæ. Ratio patet: quia etsi privilegium, quod est contra jus commune, strictè interpretandum sit, ut docent omnes; illud tamen, quod communi juri insertum est, non est contra jus commune, sed potius juri conforme, cum jus commune constituat. Videtur igitur absolutè dicendum cum Glossa *in c. 12. h. t.* privilegia de non solvendis decimis, saltem si Ecclesijs aliisque pijs causis concessa sint, latissimè interpretanda esse.

Affer. Privilegium exemptio- 170
nis à decimis solvendis, etsi Religiosis concessum, & juri communi insertum, odiosum est, & strictæ interpretationis. Ita Oldrad. *consil.* 268. Guttier. *consil.* 5. n. 5. Suar. *tom.* 1. *de Relig.* tr. 2. l. 1. c. 18. n. 6. aliique mox referendi. Ratio est: quia licet hoc privilegium respectu eorum, quibus datur, videatur religioni favere, simpliciter tamen juri communi, vi cujus omnes, etiam Religiosi, tenentur ad decimas solvendas, derogat, affertque præjudicium tertij, vid. Ecclesiarum & Clericorum, qui decimis per privilegia privantur. Quod autem juri communi derogat, & onus affert tertio, simpliciter odiosum, ac idcirco strictè interpretandum est, *reg.* 15. *Fur. in 6.* Unde ita restringendum est, ut, quàm minimùm fieri potest, legi deroget, & juri alterius noceat, ut in simili docet Pontifex *c. 13. de Privil.*

Confirmatur ratio allata. Prin- 171
ceps ita semper privilegia concedit, ut, quantum fieri potest, sine cujusquam præjudicio usurpentur, ut tradit Ulp. *l. 2. §. 2. & 10. ff. ne quid in loc. publ. & Imp.* l. 4. *C. de Emanc. liber.* Cum ergo exemptio à decimis solvendis cedat in præjudicium eorum, quibus aliàs de jure solvendæ forent, consequens est, quòd Pontifex hoc privilegium concedens velit, ut illis quàm minimùm noceatur. Quæ Pontificis mens apertè colligitur

ex c. 8. & c. 34. h. t. ubi Alexander III. & Innoc. III. hanc Religiosorum immunitatem restrinxerunt, quòd grave inde Ecclesijs, quibus decimæ de Jure communi debebantur, præjudicium nasceretur.

172 Addendum tamen est, ita restrictionem privilegij faciendam esse, ut ejusdem verba sensum proprium semper retineant, sive, ut per restrictionem & arctum usum privilegij non recedatur à propria significatione verborum, quibus illud concessum est, ut tradunt Decius *consil.* 113. n. ult. Baldus *vol.* 1. *consil.* 271. ac latè explicant Francus *in c. 1. de temp. Ordin. in 6.* Everhard. *in Topic. Leg. loco 79. n. 26. & seqq.* Peckias *in cit. reg.* 15. n. 6. & 7. Suar. *de Leg. l. 8. c. 27. n. 6. & c. 28. n. 2. & 3.* quia voluntas Principis servanda est: hæc verò colligitur ex verbis Rescripti propriè sumptis, nisi aliunde de contraria ejusdem mente constet.

173 Ex dictis patet responsio ad rationes in contrarium: quia privilegium tunc demùm latè interpretandum est, quando non est contra Jus commune, aut contra jus tertij. Huic enim si derogat, strictæ interpretationis est, tametsi motu proprio Principis aut ex certa scientia concessum sit, ut cum Panorm. *in c. 9. de sepult. n. 9.* & communi DD. tradit Suar. *cit. c. 27. n. 9.* ac sumitur *ex c. 12. de offic. Ord. c. 5. de auct. & usu pall. cit. l. 2. §. 2. & 10. ff. Ne quid in loco publ.*

174 Neque obstat, quòd hujusmodi privilegium juri communi inferum sit: quia posterior lex semper ita intelligenda est, ut priori quàm minimùm derogetur, neque priori derogatum censetur, nisi posterior derogans sit illi omninò contraria, *arg. c. 29. de elect. in 6. l. si quando C. de inoff. testam. l. Præcipimus C. de appell. l. sed & posteriores ff. de Legib.* Cùm ergo lex de decimis solvendis sit antiquissima; ea verò, quæ conceditur exemptio, posterior: consequens est, hanc ita intelligendam esse, ut prior, quantum fieri potest, salva maneat, maxime quia per priorem legem simulque per divisionem prædiorum, ex quibus singulis Ecclesijs decimæ solvantur, jus Ecclesijs ad decimas quæsitum est juri autem tertij nunquam derogatur per legem aut statutum, multò minùs per privilegium, nisi expressa juris illius mentio fiat, aut certè lex cum illo jure omninò consistere nequeat.

175 Pariter non obstat, quòd immunitas à decimis pendendis concessa fortè est in favorem religionis ac piæ causæ. Nam imprimis favor religionis non potest obesse juri tertij, nisi huic in rescripto, quo privilegium conceditur, vel apertè derogetur, vel cum illo jure tertij privilegium consistere nequeat, ac idcirco quamdiu utrumque stare simul potest, tamdiu utrumque tuendum est. Accedit, quòd favor unus religionis non potest prævalere

174
 lere alteri favori religionis, nisi quantum necesse est, ut prior ille non sit omninò vanus ac sine effectu: cum enim uterque sit concessus religioni, neuter per se prævallet alteri, quia religio religioni non obest.

QUÆSTIO III.

Privilegium non solvendi decimas an solùm eximat à decimis Novalium?

SUMMARIUM.

176. Sensus questionis explicatur.
 177. Novalis diversimodè sumitur in Jure Civili, & Canonico, ac Bavarico.
 178. An modò latè, modò strictè accipiendum sit.
 179. Pratum vel hortus in agrum conversus Novalis non est.
 180. Privilegium de non solvendis decimis ex Novalibus intelligendum est de Novalibus strictè sumptis.
 181. Secus, si agatur de favore Parochi.
 182. Ex fundo olim culto debet decimas, qui habet Privilegium non solvendi ex Novalibus: nunquam tamen ex fundo, qui semel est novalis.
 183. Probare debet, se post acceptum privilegium fecisse novalis.
 184. 185. 186. Sententia & rationes opinantium, exemptionem à decimis tantùm procedere de novalibus.
 187. Procedit hoc Privilegium de de Decimis antiquis.
 188. 189. 190. 191. Dissolutio oppositorum.
 192. Excipitur casus, quo decima alicui competunt titulo particulari præscriptionis, privilegij &c.

176
 Ultra dubium generale, quod modò decidimus, alia quædam particularia de hujus privilegij vi & effectibus confurgunt. Horum primum esto, quo quæritur, an privilegium non solvendi decimas procedat de decimis ex prædijs, ex quibus illæ ante concessum privilegium solvebantur; an verò lo-

lùm de novalibus, quæ fient post privilegium. Quod ut ritè decidatur, uti & alia, quæ de Novalibus postea occurrent, paucis priùs declarandum est, quid nomine Novalium significetur.

Ager *Novalis* aliter Jure Civili, 177 aliter Canonico sumitur. *Novalis* ait Cajus l. 30. ff. de V. S. est terra
 K 3 *præcisa*

precisa (proscissa) *qua anno cessavit*. Qua ratione, ut observat Panorm. in c. 21. de V. S. ferè omnes agri sunt novales, cum communiter cessent per annum. Lege 3. §. 2. ff. de Term. mot. dicitur novale fieri ex sylva. Hinc Juris civilis consulti statuerunt, terram proscissam, quæ anno cessavit, vel sylvam, quæ arboribus extirpatis ad culturam redacta est, novalem esse. Utriusque hujus expositionis mentionem cum fecisset Innoc. III. c. 21. de V. S. subjungit: *eam credimus, prædecessorum nostrorum intentionem fuisse, cum pijs locis indulgentiam de Novalibus concesserunt, ut Novale intellexerint agrum de novo ad cultum reductum, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuisset.* Idem ferè dicitur c. 1. eod. ibi: *Novale est ager nunc primùm precisus.* Quam definitionem *Novalis* in materia decimarum universim dant Canonistæ. Ita quoque sumitur *Novale* in Statutis nostris Patrijs tit. 28. art. 13. dicitur enim terra, quæ hætenus culta non fuit, & in qua nullum indicium porcæ & sulci vel liræ apparuit. Wo hievor weder Furch noch Strang gesehen / auch nie etwas angebaut worden / und hernach ungerissen / und gebaut worden / das heißt und ist ein rechter Neubruch.

178 Existimat quidem Bern. van Epen. p. 2. *Fur. Eccl. tit. 33. c. 6. n. 4. & 7.* *Novale* etiam de Jure Canonico

non absolutè ita strictè sumi, sed solùm, quando SS. Pontifices alicui concedunt decimas Novalium: eò quòd hujusmodi facultas sit odiosa & restringenda, & sic pariter restringenda notio & significatio nominis *Novale*. Rationem dat: quia Pontifex cit. c. 21. ait, suos prædecessores per *Novale* intellexisse agrum de novo ad cultum reductum &c. *cum pijs locis indulgentiam de novalibus concesserunt.* Non ergo universim ita strictè *Novale* acceperunt, sed solùm in illo speciali casu, quo concessio decimarum ex Novalibus erat odiosa & strictæ interpretationis. Unde inferit, quòd *Novale* in latiore sensu accipiendum sit, si non agitur de privilegio Juri communi contrario. Verum non explicat, quomodo extra casum privilegij accipiendum sit *Novale*. Accipi proferò nequit in sensu Legis 30. ff. de V. S. juxta quam *Novalis* est terra proscissa, quæ anno cessavit: quæ tam latè patens significatio in materia decimarum nec est juxta mentem DD. nec juxta praxin fori. Accedit, quòd c. 1. h. t. *Novale* absolutè dicitur ager nunc primùm proscissus, absque illa privilegij de Novalibus concessi mentione, quæ fit c. 21. de V. S. Hinc universim pronuntiant Juris utriusque Consulti cum Panorm. l. 2. conf. 71. col. 1. Tusch. lit. N. concl. 114. Buriat. conf. 142. n. 9. Rimin. Jun. vol. 2. conf. 142. *Novale* esse terram de novo

novo ad culturam redactam, cuius non extat memoria, quod culta unquam fuerit. Addit Tusch. l. c. cum Panorm. quod si ager cultus pro parte fuit, maximè si pro majori parte, novalem quoad nullam partem dici, licet quoad aliquam partem non fuerit cultus hactenus.

179 Illud verum est, quod post Besoldum ac alios observat Illustriss. D. Schmid *ad cit. art. 13. Jur. Bav. n. 1.* quod si pratum, vel hortus, brascifà confitus, vertatur in agrum & frumento feratur. *Novalis* dici non possit, & sic decimæ ex huiusmodi novo agro non pertineant ad eum, ad quem ex jure & titulo speciali pertinent decimæ *Novalium*, sed ad ordinarium decimatorem: etsi enim ejusmodi fundus sit ager nunc primùm aratro proficissus, non tamen habet id, quod *cit. c. 21.* ad rationem *Novalis* requiritur, quia dici non potest, quod sit *de novo ad culturam redactus, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuisset.* reverà enim cultus antè fuit, etsi non satione frumenti. Videantur tamen ea, quæ tradon. 40 E. & seqq.

180 Hinc saltem in casu, quo alicui conceditur privilegium de non solvendis *Novalium* decimis, *Novale* strictissimè sumitur, nim. pro illo duntaxat solo recens culto, ex quo antè nulli vel modici tantùm fructus decimis subjecti percipiebantur, uti patet ex *cit. c. 21.* & explicant Card. Luca *disc. 4. de decim.*

n. 11. & 12. Wernde *tr. de dec. l. 4. c. 1.* Moneta *cod. c. 4. n. 50. & 51.* Wamel. *h. t. consil. 446. & 448.* Zypæus *Can. Consult. l. 3. Consult. 5. n. 9.* Hart. *pract. for. l. 2. tit. de V. S. art. 15.* Ex quo consequens est, quod si pratum aut pascua, ex quibus Parochus decimas foeni vel pecorum habet, in agrum redigantur, decimæ ipsi ex frumento solvendæ sint à domino agri, etsi hic privilegium habeat decimas ex *Novalibus* non solvendi, ut patet ex *c. 4. h. t.* & tradunt ibi Gloss. ac DD. quos referunt ac sequuntur Rebuff. *g. 6. n. 4. & 35.* Moneta *l. c. n. 51.* Azor aliisque communiter. Idem dicendum est, si domus, ex qua decimæ prius solvebantur, exusta est, ejusque solum postea aratro subdatur. Wamelius *consil. 450. sub fin.* Zypæus *l. c.*

E contrario dicendum videtur 181 cum Bern. van Espen *l. c. n. 8.* quod si pratum alicubi, ubi decimæ foeni ex consuetudine non solvuntur, in agrum convertatur, huiusmodi agrum esse *Novalem*, ac idcirco ex illo decimas frumenti ad Parochum, & non ad alium decimatorem pertinere, si hic ad decimas solum ordinarias jus habet, Parochus verò ad novales. Ratio patet: quia, uti sumitur ex *c. 4. 8. 9. 11. 34. h. t. & c. 21. de V. S.* ac tradit communis DD. privilegium decimas aut colligendi, aut non solvendi, est odiosum, & restringendum, ita ut quàm minimùm noceat Ecclesiæ, cui

cui illæ jure communi debentur. Cum ergo, ut ex dictis patet, non eodem semper sensu accipiatur *Novale*, in casu, quo agitur de tuendo jure Parochi, accipiendum est, ut quàm minimum huic juri, & sanctionibus Canonicis derogetur.

182 Ex dictis colligitur I. Si fundus ante centum, mille, vel plures annos cultus, postea neglectus hucusque nihil fructuum tulit, ac hodie denuò colitur, decimas inde solvendas esse, etiamsi dominus, qui eum colit, privilegium habeat eas ex novalibus non solvendi. Novale enim est ager nunquam antea proficissus: at fundus iste olim proficissus ac cultus fuit. E contrario Novale semper manet fundus de novo ad culturam redactus, ac propterea is, qui jus habet colligendi decimas ex novalibus, semper ex illo colligere poterit, eritque semper exemptus ejus possessor, qui privilegium habet decimas non solvendi ex novalibus. Explodenda enim potiùs, quàm confutanda est illa inepta opinio, quam apud illiteratos circumferri ait Zasius *tom. 6. l. 2. consil. 11. n. 22.* existimantium, quòd ager dicatur Novalis solum pro eo anno, quo ad culturam redigitur; talem verò esse desinere sequentibus annis, quibus cultura continuatur. Contrarium patet ex *c. ult. de Privil.*

183 Colligitur II. Possessorem, si contendit, se ratione privilegij decimas ex novalibus non solvendi

ad nullas ex suo fundo teneri, probare debere, se post acceptum privilegium novale fecisse, seu fundum antea semper incultum cepisse colere. Hoc ut probet, ostendere debet, non extare memoriam de cultura. Ad hoc verò probandum testes deponere debent, se nec vidisse, nec audivisse dici ab aliquo, quòd ager, qui novalis dicitur, cultus aliquando fuerit, & quòd communis opinio ac fama sit, fuisse semper incultum, ut notant Innoc. Ant. Butr. ac alij *in cit. c. 21. de V. S. Bartol. tr. de differ. utr. Fur. n. 132. Specul. de Probat. §. 1. n. 26. Mascard. eod. concl. 1112.* & patet ex *l. si arbiter ff. de Prob.* aut certe probare debet, quòd ex hoc fundo, tanquam ex novali, antecessores non solverint decimas: tunc enim (ut existimo) nec ipse successor pari privilegio circa novalia munitus ad quidquam tenebitur, etiamsi longè antè ab uno ex antecessoribus fundus sit coli coepit, & hucusque cultura continuata: quia nullibi legitur, eum, qui gaudet privilegio circa novalia, illo tantum uti posse circa novalia, quæ ipse fecit, solum antea incultum ad culturam redigendo. Accedit, quòd juxta *c. 21. de V. S. Novale* est illud (ut observat Glossa *in c. 4. h. t.*) unde *Ecclesia Parochialis nihil antè percipiebat, vel ita modicum, quòd sine lesione illud poterat amittere.* At ex fundo ab antecessoribus ad culturam redacto

redactio & nunquam antè decima-
to Ecclesia nihil unquam, ut po-
no, percepit. E contrario, si no-
vale ab antecessorum aliquo fa-
ctum est, qui circa illud non erat
privilegiatus, censendum non est,
quòd ad illud se extendat succes-
soris privilegium: quia fundus
oneri decimarum semel subiectus,
cum hoc onere ad successores tran-
sit, & novale ampliùs non cen-
setur, utpote per quod intelli-
gitur solùm ille fundus, ex quo an-
tea nunquam sunt solutæ decimæ,
uti tradunt Panorm. in *c. 31. de
Privil.* Rebuff. *g. 14. n. 33.* Covarr.
cit. c. 17. n. fin. & patet ex *cit. c.
31. & c. statuto h. r. in 6.* Interim
fatendum est, quòd sicut ferè uni-
versim circa decimas multum po-
test consuetudo, ita ex hac potif-
simùm defumi debeat, quis fun-
dus novalis censendus sit, quis non.
Si dubia est consuetudo, in fa-
vorem Parochi interpretanda est,
utpote cui de jure communi com-
petit jus colligendi decimas ex fru-
ctibus intra fines Parochiæ prove-
nientibus.

184 His de natura Novalium in ge-
nere præmissis, resolvendum est
dubium initio quæstionis propo-
situm. Privilegium non solvendi
decimas solùm intelligendum esse
de Novalibus, non verò de fun-
dis, ex quibus illæ antea solve-
bantur, censent Cardin. & Innoc.
in *c. 31. de Privil.* Oldrad. *con-
sil. 268.* Felin. in *c. causam de Re-*

script. n. 11. Rebuff. *g. 13. n. 114.*
aliique, quos referunt Guttier.
l. 2. can. 99. c. 21. n. 129 & Covarr.
l. 1. var. c. 17. n. 14. Rationem
dant I. Privilegium, quod juri
communi contrarium est, strictè
accipi debet, & ita, ut quàm mi-
nimùm deroget juri communi, &
juri tertij, quantum fieri potest
salva proprietate verborum. ut di-
ximus *n. 170. & 171.* Atqui privi-
legium non solvendi decimas sal-
vâ proprietate verborum subsistit,
etiamsi solùm accipiatur de Nova-
libus: ergo ultra hæc non est ex-
tendendum, nec intelligendum de
prædijs ante acceptum privile-
gium oneri decimarum subiectis.

II. Pontifex non censetur ali- 185
cujus juri derogare, nec possessio-
nem ejus tollere, nisi vel expressam
mentionem de hoc faciat, vel aliàs
privilegium sine tali derogatione
consistere omnino non posset, ut
pariter diximus *n. 171.* ergo si in
concessione privilegij expressam
mentionem de prædijs oneri deci-
marum jam subiectis non facit, cen-
setur loqui de Novalibus in poste-
rum faciendis: cum privilegium ef-
fectum aliquem habeat, etiamsi de
his solis intelligatur.

III. Deciditur *cit. c. 31. de Pri- 186*
vil. privilegium de novalibus con-
cessum non extendi ad decimas
tempore concessi privilegij debi-
tas, sed solùm ad illas, quæ ex agris
nunquam cultis colliguntur: ne
præjudicium fiat possessoribus. Er-
L go simi-

go similiter, ne possessoribus antiquarum decimarum præjudicetur, privilegium non solvendi intelligi debet solum de novalibus. Confirmatur ex *c. 31. h. t.* juxta quod per concessionem cujusdam Ecclesie cuidam Hospitali factam, non censetur Episcopus privari jure decimarum talis Ecclesie: quia hoc in litteris non exprimebatur. Ergo pariter non privatur Ecclesia jure decimarum ex antiquis prædijs, si hæc in privilegio immunitatis non exprimuntur.

187 Affert. Privilegium non solvendi decimas prædiales procedit de prædijs tempore privilegij possessis, ex quibus antè solvebantur. Ita sentio cum Panorm. *m. c. 31. de Privil.* Covarr. *l. c.* Guttier. *l. c.* Suar. *tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 1. c. 19 n. 2. & 3.* Azor *tom. 1. l. 7. c. 26. q. 6.* Palao *tr. 10. disp. un. pun. 12. n. 5.* ac communi DD. & praxi, de qua testatur Suar. *l. c. n. 2.* ubi merito addit, rem sibi videri indubitam. Nam apertè deducitur ex *c. 10. h. t.* ubi cum Pontifex recensisset, suos antecessores omnibus ferè Religiosis concessisse exemptionem à decimis suorum laborum, seu prædiorum, quæ habent, ut benè ibi explicat Glossa: postea restringens hoc privilegium ait, se solis Cisterciensibus, Templarijs, & Hospitalarijs, exemptionem in suis prædijs concedere; cæteris verò Religiosis duntaxat de novalibus. Supponit ergo privilegium non solvendi ab-

189
190
solutè concessum procedere de prædijs tempore privilegij jam possessis & oneri decimarum subjectis aliàs, si illud per se solum procederet de novalibus, peculiari restrictione opus non fuisset. Idem sumitur ex *c. 12. h. t.* ubi Pontifex illos reprehendit, qui privilegium exemptionis Cisterciensibus concessum dicebant solum procedere de Novalibus, addens, si exemptionem concedere voluisset tantum de Novalibus, se fuisse expressurum nomen *Novale*. Ergo ubi hoc non exprimitur in privilegio, procedit exemptio de prædijs antiquis. His accedit ratio: quia privilegium non solvendi si expressè non restringatur ad novalia, est universale, ac idcirco non solum personas eximit, sed quælibet bona: ergo non solos fundos, qui hæcenus non colebantur, sed etiam, & maxime illos, qui nunc sunt sub privilegiati cultura, vel jam fuerunt sub antecessorum.

111
Ad I. Rationem *n. 184.* in oppositum allatam *q.* licet hoc privilegium strictè interpretandum sit, ejus tamen verba proprie, ac rigorose accipi debere. Cum ergo nomine decimarum prædialium in rigore non intelligantur sola novalia, consequens est, eo nomine etiam antiqua prædia comprehenduntur, illud si hæc non intelligerentur, illud nomen in rigore non sumi, sed extra propriam significationem extrahi.

Ad

189 Ad alteram quoque rationem patet responsio ex dictis: cum enim Pontifex concedit exemptionem à decimis prædialibus, loquitur de prædijs antiquis; tum quòd mens SS. Pontificum *cit. c. 10. & 12.* ita explicatur; tum quòd verba *Prædia, & Prædiales decima,* in rigore non significant sola Novalia, & sic improprie sumerentur, si de his solis explicarentur.

190 Ad argumentum ex *c. 31. de Privilegiis* factum, N. conseq. nam ibi casus proponitur longè à nostro diversus; cum Pontifex solum decimas ex novalibus non solvendi fundum, ex quo Ecclesia priusquam coleretur, decimas accipiebat, v. g. si ex pascuis, vel sylva, ex quibus decimas percipiebat, fiat ager. At nos hinc loquimur de privilegio non solvendi ex prædijs; quo nomine, ut diximus, non veniunt soli fundi de novo colendi, sed maximè illi, quos privilegiatus hæcenus coluit: nam nomine *decimarum* præcipue significatur aliquid sub jure Ecclesiæ constitutum; ergo dum à solvendis conceditur privilegium, procedit vel maximè de illis, ad quas ratione soli jam antè culti Ecclesiæ jus habet.

191 Æquè parùm obest textus *c. 31. h. t.* quia concedere Ecclesiam seu illam unire Hospitali aut Monasterio, non est illi applicare Jura Episcopalia talis Ecclesiæ, sed ad summum propria Ecclesiæ jura seu Parochialia. Unde ex hoc casu, utpote longè diverso, argumentum duci ad nostrum non potest.

192 Concedendum tamen aliquid est rationibus adversariorum, ac limitanda nostra assertio in casu, quo alicui debentur decimæ ex titulo particulari, videl. præscriptione, consuetudine, aut privilegio: si enim ex speciali hujusmodi titulo aliquis jus habet colligendi, per privilegium non solvendi decimas prædiales huic juri non derogatur, nisi in rescripto specialis ejus mentio fiat & derogatio, vel verba rescripti ita sint generalia, ut ex illis pateat, Pontificem voluisse etiam speciali huic juri derogare, v. g. si dicat, se eximere à solvendis decimis quocunque titulo & jure cuicunque debitis, uti docent Pannorm. *in c. 31. h. t.* Covarr. Guttier. Azor, Suar. Palao *ll. cc.* quia juri solum communi, non verò speciali per privilegium derogatur, nisi aliud ex verbis rescripti clarè desumatur.

QUÆSTIO IV.

Privilegium non solvendi decimas an se extendat ad Novalia?

L 2

193.

SUMMARHUM.

193. 194. *Opinio negantium & rationes.*
195. *& seqq. Affirmativa tene-*

tur & probatur.

201. 202. *Responsio ad opposita.*

193 **P**rivilegium non solvendi decimas procedere de prædijs antiquis, modò dictum est: consimilis nunc quæstio est, an pariter comprehendat Novalia? Negant Ant. Butrio in *c. 2 s. h. t. Solorz. tom. 2. l. 3. c. 21. n. 26.* Rebuff. *q. 14. n. 30.* Guttier. *c. 21. n. 130.* Moneta *c. 4. n. 67.* Hier. Roderic. *qq. regul. res. l. 50. n. 6.* Barbosa *de offic. Par. c. 28. §. 3. n. 14.* Gonzal. *in c. 4. h. t. n. 9.* Werndele *l. 4. de Decim. c. 4. concl. 7.* Robert. König *h. t. n. 9.* aliique, moti his rationibus.

194 **I.** Privilegia, cùm concedantur contra jus commune *c. Privilegia dist. 3. c. fin. 25. q. 1.* & contra juris dispositionem operentur. *C. 30. de Privil. l. 2. ff. ad municip.* odiosa sunt & ita accipienda, ut quàm minimùm lædant. *c. 3. de Consang. c. licet de off. ordin. c. 19. de Præscript. c. 16. de Privil. c. Quamvis de Rescript. in 6. c. 3. h. t. & c. 2. eod. in 6.* nec extensionem aliquam recipiunt *c. Petisti 7. q. 1.* etiam ex majoritate rationis. *l. si pupillorum §. si Prætor ff. de rebus eor.* Ergo nec privilegium non solvendi decimas extendendum est, cùm maximè odiosum sit, utpote repugnans non tantùm juri communi, sed etiam juri tertij, seu particularium Ecclesiarum, quibus illæ debentur. **II.**

Privilegij & Præscriptionis eadem est ratio. *c. Duo sunt de offic. Ord. c. super. de V. S.* At Præscriptio non extenditur ad novalia. *c. 28. h. t.* III. Privilegium percipiendi decimas etiam absolutè concessum non comprehendit decimas novalium, ut patet ex *c. 2. §. 1. h. t. in 6.* Ergo etiam privilegium absolutè concessum de non præstandis decimis non extenditur ad novalia: idè enim illud prius ad novalia non extenditur, quia est odiosum & contra jus Ecclesiarum: at odiosum pariter est posterius de non solvendo; privat enim æquè, ac illud, Ecclesias decimis, ad quas etià ex novalibus percipiendas jus habent. IV. Futura non comprehenduntur sub indefinita dispositione. *l. si ita & l. fin. ff. de auro & argent. Clem. fin. de Rescript.* ergo Privilegium non solvendi decimas non comprehendit futuras, seu Novalium. Plerique tamen hujus sententiæ patroni eandem limitant, ac dicunt, hanc immunitatem extendi ad novalia, si concedatur alicui *de laboribus suis*, ut loquitur Pontifex *c. 10. & 12. h. t.* id est, de proprijs prædijs, quæ proprijs manibus aut sumptibus excolit.

Assert. Privilegium immunitatis à præstandis decimis sine limitatione

tione concessum eximit à præstatione etiam novalium decimarum. Ita sentiunt Suar. *cit. c. 19. à n. 4.* Azor *cit. c. 26. q. 6.* Palao *cit. pur. 12. n. 7.* Zoel. *h. t. n. 54.* Pirhing *eod. n. 103.* Schambogen *eod. §. 39.* Fagnan. *in c. 29. h. t. n. 9.* Probatur I. ratione: quia sub privilegio de non solvendis decimis ex proprijs prædijs, generaliter & indefinitè concessio, continentur etiam decimæ Novalium: cum sub concessione generali ac indefinita etiam futura comprehendantur. *c. 22. de Privil.* Neque est major ratio, cur continentur decimæ antiquæ, seu ex agris non novalibus, quàm novæ ex novalibus: cum agri novalis æquè sint propria prædia, quàm agri ab antiquo culti. Unde sicut privilegium non acciperetur in propria significatione verborum (in qua tamen, ut hætenus non semel diximus, privilegium etiam odiosum accipiendum est) si acciperetur solum de novalibus, & non etiam de antiquis decimis, uti argumentantur ipsi etiam Adversarij: ita pariter extraheretur extra proprium verborum sensum, si tantum intelligeretur de decimis antiquis. Comprehendit igitur decimas temporis tam præsentis quàm futuri. *arg. l. fin. si servitus ff. de servit. urb. præd. l. fin. C. Quæ res pign. oblig. poss. c. 1. dist. 19.*

196 Neque obstat, quòd sit in præjudicium tertij: quia etiam privilegij in præjudicium tertij cedentibus

lata interpretatio facienda est, quatenus requirit verborum proprietates: quia hæc non est extensio, sed comprehensio, ut declarant Decius *consil. 113. n. 6.* Panorm. *in c. olim de V. S. n. 4.* Fagnan. *ibid. n. 23.*

Probatur II. Juxta *c. 22. de Privil.* 197 *vil.* si Episcopus indefinitè concessit immunitatem à decimis sibi debitis, *intellexisse videtur*, ait Pontifex, *non solum de decimis possessionum illius temporis, sed futuri.* Rationem reddit: *cum nihil exceperit, & potuerit excepisse, ac in beneficijs plenissima sit interpretatio adhibenda, nec debeat una eademque substantia diverso jure censeri.* Idem ergo dicendum est de privilegio à summo Pontifice concessio, quia æquè in potestate ipsius est decimas remittere cuicunque Parochiæ debitas, ac est in potestate Episcopi remittere decimas sibi debitas; neque minus SS. Pontifex sollicitus esse debet ac esse præsumitur in tuendis juribus particularium Ecclesiarum, quàm est Episcopus in tuendis juribus suæ Ecclesiæ aut mensæ. Accedit, quòd hæc ratio, *cum nihil exceperit & excepisse potuerit*, in utroque casu, ut patet, æqualiter procedit: sicut & altera, quòd *non debeat una eademque substantia diverso jure censeri*, quando videlicet non est major ratio pro una quàm pro altera, & quando de utraque verba privilegij in propria significatione æqualiter procedunt. Atqui non est

est major ratio, cur potius concedatur immunitas à decimis ex prædijs antiquis, quàm ex novalibus; imò si alterutra excipiendæ essent, potius excipiendæ forent decimæ ex antiquis prædijs, quàm ex novalibus, quia longè minus præjudicium nascitur Ecclesijs, si non solvantur istæ, quàm si illæ. Pariter verum est alterum, quòd videlicet verba Rescripti immunitatem concedentis in propria significatione æquè procedant de novalibus, quàm de antiquis prædijs. Ex quo patet, non valere responsionem, quâ quis diceret, illa verba *cit. c. 22. sed futuri*, non esse intelligenda de novalibus in posterum faciendis, sed de prædijs antiquis post privilegium acquirendis: nam indefinita illa propositio æqualiter procedit de utrisque, & in significatione æquè propria de illis, quàm de his: imò potius de illis, utpote minus præjudicium decimatori ordinario inferentibus.

198 Probatur III. ex *c. 12. h. t.* ubi Alex. III. ait, Privilegium Cisterciensibus absolutè concessum, *ne de laboribus, quos proprijs manibus aut sumptibus excolunt, aliquis decimas ab ipsis exigat*, non procedere de solis novalibus: *nam, ut ait, si intelligeremus tantummodo de novalibus, ubi ponimus de laboribus, de novalibus poneremus.* Igitur si dat privilegium absolutè, non dat *tantummodo de novali-*

bus, nec tantummodo de prædijs jam antehac cultis, sed de utrisque. Et sicut, si illud intelligi vellet solùm de novalibus, in rescripto poneret *de novalibus*; ita si intelligi vellet de prædijs solùm antiquis, poneret *de prædijs antiquis*.

Idem argumentum formari potest ex *c. 10. h. t.* ubi idem Pontifex approbat privilegium, quo ipse prædecessor Hadrianus solis fratribus Cisterciensis Ordinis, & Templarijs, & Hospitalarijs, *decimas laborum suorum, quos proprijs manibus, vel sumptibus colunt, indulgit: ceteris vero* (Religiosis) *ut de novalibus suis &c.* ubi manifestè supponitur, privilegium Cisterciensibus absolutè datum de non solvendis decimis laborum, procedere tam de novalibus, quàm de alijs, etsi novalia in illo non fuerint expressa. Igitur si in privilegio expressa novalium mentio non fit, sed illud absolutè datur, etiam de novalibus intelligendum est.

Probatur IV. Privilegium non 200 solvendi decimas ex laboribus, seu prædijs, quæ quis colit proprijs manibus aut sumptibus, extendit se etiam ad novalia, ut fatentur adversarij, & patet ex *cit. c. 10. & 12. h. t.* quamvis hoc privilegium sit odiosum, utpote repugnans juri communi, & juri privatæ Ecclesiæ, cui aliàs decimæ forent solvendæ. Item est amplè sumendum ac extendendum ad novalia, tamen si privilegium colligendi decimas ad illa

illa se non extendat. Ergo etiam privilegium non solvendi decimas absolute concessum extenditur ad novalia, non obstante, quod odiosum sit, & repugnans juri communi, ac juri tertij, & sic ruunt argumenta contra nostram opinionem adducta, & pariter adversarijs in suo illo casu, quo extensionem ad novalia admittunt, solvenda sunt. Consequentia probatur: ideo in casu, quo conceditur immunitas à decimis de laboribus, quos proprijs quis manibus aut sumptibus colit, isthoc privilegium novalia comprehendit, quia etiam ista sunt propria privilegiati prædia, & sic comprehenduntur sub propria verborum significatione, quibus immunitas à proprijs laboribus conceditur. atqui nostræ quoque sententiæ patroni eam non aliter intelligunt, quàm de proprijs prædijs. Non enim dicimus, immunitatem à decimis absolute concessam procedere de prædijs alienis & à privilegiato conductis. Neque asserimus, quod si quis propria prædia elocet, conductor seu colonus immunis sit per immunitatem locanti concessam: nisi hoc privilegium sit reale, seu ipsis prædijs concessum. Unde plerique, qui sententiam nostram impugnant, re ipsa minus, quàm nos, non dicunt, sed solum assertionem, quâ dicitur, immunitatem à decimis absolute concessam extendi ad novalia, contra mentem asserentium malè intelligunt.

Hinc necesse non est ad argumenta in contrarium allata pluribus respondere. Et primum quidem n. 194. propositum solvimus supra n. 188. 189. 195. & 196. Ad alterum ex paritate privilegij cum præscriptione desumptum, N. conseq. & paritas: præscriptio enim idcirco, ut infra dicitur, ad novalia non extenditur, quia plus non præscribitur, quàm possidetur: atqui novalia, quæ fiunt, nondum possidentur. Privilegium verò procedit etiam de futuris, eruntque novalia æquè propria privilegiati, ac modò sunt prædia antiqua: dum ergo conceditur immunitas ex proprijs prædijs, sub his æquè propriè intelliguntur illa, quàm ista. Ad tertium de privilegio colligendi decimas commodius infra respondebitur.

Ad quartum N. Ant. contrarium ²⁰² constat ex *cit. c. 22. de Privil.* quod allegavi n. 197. Neque obstant leges allatæ: nam ibi sermo est de casu, quo testator dicit: *Lego meum argentum, meum aurum* &c. quæ verba dispositionem utique restringunt ad res, quas tempore dispositionis possidet testator; quod enim primum postea acquisiturus est, jam non potest dicere suum. E contrario, si absolute dicat, se legare omne aurum, vel argentum, intelligi id debet de eo omni, quod tempore mortis in ejus bonis erit, uti patet ex *l. cum aurum ff. de auro, & arg. leg. l. quidam ff. de trit. vin. olcoque leg. & tradunt Menoch.*

l. 4. præsum. 127. n. 34. & l. 2. consil. 106. n. 174. Arias de Mesa l. 3. var. c. 13. quem allegat Gonz. in cit. c. 22. n. 2. Pariter non obstat Clem. ult. de Rescript. sic enim ibi loquitur Pontifex: Litteras nostras super conferendo tibi beneficio vacaturo directas ad Beneficium post datam ipsarum creatum, statuimus non extendi. Cùm ergo beneficium recens creatum non dicatur vacare,

fed erigi, intelligi illa concessio non poterat de Beneficio post Rescriptum erigendo: non enim vacat, quòd antè non extitit, ut bene explicant Barbof. in cit. Clement. Castillo de Tertijs c. 14. n. 39. Arias de Mesa l. c. c. 41. n. 25. Gonzal. l. c. Ac verò privilegium, de quo loquimur, æquè propriè procedit de prædijs novalibus, quàm de antiquis.

QUÆSTIO V.

Privilegium non solvendi decimas an extendatur ad prædia post ejus concessionem acquirenda?

SUMMARIUM.

203. Opinio negans cum suis fundamentis.

204. 205. 206. Affirmans præferatur & stabilitur.

207. Responsio ad opposita.

208. Confectarium doctrina tradita.

203 **D**iversa hæc quæstio est à priori, quam modò de novalibus decidimus. Hic enim solùm agitur de prædijs antiquis, ex quibus Ecclesiæ modò solvuntur decimæ, privilegiato verò primùm post obtentam immunitatem acquiruntur. Resolvit hoc dubium Oldradus *consil. 268.* aitque, privilegio non solvendi decimas etiam absolute concessio comprehendit solùm prædia acquisita & possessa tempore concessionis, non item acquirenda. Movetur I. communi principio hætenus non semel producto, quòd

videl. hoc privilegium, utpote præjudicans Juri communi, & Ecclesiarum privato, odiosum sit ac strictè intelligendum. II. Quia res transit cum suo onere: ergo si post privilegium acquiri prædium oneri decimarum priùs subiectum, non nisi cum hoc onere acquiri. III. Quia in decimis non fit extensio ad futurum. *c. 29. & c. 25. §. 2. h. t.*

Afferit. Privilegium immunitatis de non solvendis decimis procedit de decimis antiquis etiam post illud obtentum acquirendis. Assertio est communissima DD. & omninò

ninò certam dicit Suar. *cit. c. 19. n. 7.* Probatum I. Remissio decimarum facta ab Episcopo *secundum Canonicas sanctiones*, ut dicitur *c. 22. de Privil.* intelligenda est non solum de decimis possessionum illius temporis (quo facta est remissio) sed futuri quoque. Ergo à fortiori, si fiat à SS. Pontifice, intelligitur de possessionibus etiam futuri temporis. Conseq. patet: quia rationes, quæ ibi allegantur, à fortiori de Pontifice procedunt. Prima est *cum nihil exceperit, cum exceperit se potuerit.* Altera, *quia in beneficiis plenissima interpretatio adhibenda.* nim. juxta verborum proprietatem, cum debeant integrum habere sensum, nec arctari limitatione, quam nec ipsa exprimunt, nec æquitas concessi beneficii requirit. Tertia quoque ratio, quæ ibi datur *quia non debet una eademque substantia diverso jure censeari*, pariter in nostro casu procedit, ut patet ex dictis *n. 197.*

205 Probatum II. Indefinita propositio æquivalet universali, si diversorum casuum & rerum eadem est ratio, ut post Panorm. Bartol. Felin. Jason. ac alios tradit Covarr. *l. 1. var. c. 13. in fine*, ac patet ex *l. veteribus ff. de Pact. l. 2. C. de bonis vacant. c. cum dilecti de Donat. c. Quamvis de Præb. in 6.* Idque maxime procedit, quando indefinita propositio negativè concepta est, ut probat Covarr. *l. c. n. 7.* ergo si immunitas à solvendis decimis ab-

solutè & sine limitatione conceditur, æquè de prædijs postea acquirendis, ac de modò possessis intelligenda est, cum non sit major ratio de his quàm de illis: quia negativè concepta est, videl. *non solvatis decimas de vestris prædijs.*

Probatum III. ex *c. pen. h. t. ubi privilegium Cisterciensibus c. 10. eod.* absolutè concessum de non solvenda ex proprijs prædijs decima, arctatur (ut illi Viri Religiosi in Conventu generali ipsimet ultrò jam antè arctaverant) & *ne occasione privilegiorum suorum Ecclesia ulterius prægraventur*, statuitur, *ut de alienis terris & amodò acquirendis, etiam si eas proprijs manibus aut sumptibus excolunt, decimas persolvant.* Quibus verbis apertè supponitur, illud privilegium *cit. c. 10.* concessum processisse de decimis ex prædijs postea acquirendis: nam aliàs expressà illà limitatione & restrictione opus non fuisset.

Ad regulam de non extendendo privilegio odioso abundè responsum est *q. præced.* Neque obstat alterum principium ex *c. 42. 43. & 44. 16. q. 1.* rem transire cum suo onere: quia intelligi debet, quando solum persona est privilegiata; non verò, quando privilegium ejus bonis concessum est; hoc enim posteriore modo ipsa res liberatur onere. Quòd verò privilegium, de quo loquimur, reb^o sit concessum, patet ex rationibus pro nostra assertione

M

alla-

allatis. Multò minùs obstant *c. 25. §. 2* & *c. 29. b. s.* nam illo priore non est sermo de privilegio nõ solvendi decimas, sed de privilegio percipiendi: est autem longè diversa ratio hujus, quàm illius. Pariter alia longè est ratio de præscriptione, quã præscribitur jus decimandi, de qua sermo est *cit. c. 29.* quàm de privilegio non solvendi: jus enim colligendi decimas ex prædijs acquirendis ideo præscribere nequeo, quia illud nondum possideo. Quæ ratio in nostro casu non procedit, cum privile-

gium non præsupponat possessionem, sicut supponit præscriptio.

Ex dictis validè confirmatur opinio, quam præc. quæstione amplexus sum de Novalibus: si enim privilegium de non solvendis decimis extenditur ad possessiones post privilegium acquirendas, tamen oneri jam antè subjectas, à fortiori procedit de Novalibus: cum enim in his nondum acquisitum sit jus decimatoribus, uti est acquisitum in illis, idcirco magis odiosum est in antiquis prædijs, quàm in novis.

CAPUT VI.

Privilegium non solvendi Decimas an extendatur ad prædia conductã & emphyteutica?

SUMMARIUM.

- | | |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| 209. Varj modi, quibus conceditur hoc privilegium. | 212. Reprobatur extensio de conductis. |
| 210. Privilegium non solvendi ex proprijs prædijs non extenditur ad prædia conductã. | 213. 214. Et de emphyteuticis. |
| 211. Rationes eorum, qui privilegium non solvendi ex prædijs possessis aut habitis ad conductã & emphyteutica extendunt. | 215. Dissolutio contrariorum. |
| | 216. Quæstio, an extensio faciendã sit ad conductã, si datum est privilegium de laboribus suis aut proprijs. |
| | 217. Non est faciendã extensio. |
| | 218. Solutio rationis oppositã. |

209 **D**E proprijs privilegiati prædijs hæcenus egimus. Restat quæstio de alienis, seu illis, quæ quis conduxit, aut in emphyteusin accepit. Decisio ferè pendet ex verbis, quibus immunitas conceditur.

Concedi enim potest sic: *Concedimus tibi immunitatem in tuis, vel proprijs prædijs. Vel sic: in prædijs, quæ habes, aut possides. Vel: de laboribus & nutrimentis tuis proprijs, quale concessit Paschalis II. Clericis*

Clericis communiter viventibus, ut refertur *c. 47. 16. q. 1.* Vel: *Indulgemus tibi decimas laborum tuorum, quos proprijs manibus vel sumptibus colis*, quale concessum est Cisterciensibus *c. 10. h. t.* Vel: *in prædijs, quæ colis.* Vel: *concedimus tibi immunitatem omnimodam à decimis.* Vel: *concedimus tibi immunitatem à decimis.* In ultimis tribus casibus non dubito privilegium procedere de prædijs etiam conductis. De penultimo certum est. De ultimo idem videtur dicendum; quia ibi est propositio indefinita: hæc autem facit sensum universalem, & in propria significatione de omnibus decimis æqualiter procedit. Idem de antepenultimo: quia etiam conductæ prædia coluntur. De primo certum esse putat Palao *tr. 10. disp. un. pun. 12. n. 7.* non extendi ad prædia conductæ vel emphyteutica, quia non sunt *sua*, vel *propria* conductoris, ac emphyteutæ. Verùm hoc aliqui adeò non censent esse certum, saltem de emphyteuticis, ut contrarium tanquã probabilius asserant.

210 Assert. I. Privilegium immunitatis à solvendis decimis ex proprijs prædijs non extenditur ad prædia conductæ. Ita Panorm. in *c. Dilecti 8. h. t.* Rebuff. *q. 14. n. 52.* Suar. *cit. c. 19. n. 10.* ac passim alij, refragantibus tamen Em. Gonzalez ac alijs. Sequitur à fortiori ex *cit. c. 8. & c. 10. h. t.* de quibus mox plura. Ratio patet: quia præ-

dia conductæ non sunt *propria* vel *sua* conducentis, sed locatoris.

Circa formam privilegij secundo loco positam, quando videlicet conceditur de prædijs, quæ quis habet vel possidet, non levis est difficultas, an non intelligendum sit etiam de prædijs conducti & emphyteuticis. De utrisque intelligit Azor *cit. c. 26. q. 8.* De Emphyteuticis accipiendum esse contendunt Em. Gonzal. in *c. 8. h. t. n. 3.* aliique, quos tacito nomine allegat Azorius. Addit Gonzalez Covarruviam, & Gutierrez: sed nihil apud hos invenimus, quæ conducimus, nimirum quoad utilitatem, & jus fruendi, de quo privilegium procedit. Probat II. specialiter de bonis Emphyteuticis: quia prædia emphyteuticaria verè ac realiter propria censentur, saltem quoad dominium utile. *l. 1. C. de Jure Emphyt. & l. 1. ff. si ager vectig.* nam licet Emphyteuta prædij emphyteutici dominus non sit, attamen quasi dominus dicitur: ac dominium fundi utile habet, *cit. l. 1. l. possessores 12. C. de fund. patrim. l. fin. C. de Censib. l. 1. 8. & 11. C. de om. agr. deserv.* ubi disertè dominus appellatur: ideòque jus utendi fruendi sibi vindicat *cit. l. 1. §. 1. ff. si ag. veet. §. 3. Inst. de locat.* omniãque emolumenta prædij lucratur *l. 9. §. 2. & 3. l. 13. §. 5. ff. de usufr.* Quia eò deventum est, teste Ant. Fab. *l. 4. C. tit. 42. defm. §. n. 1.* & Carpzov. *p. 2. const. 25.*

M 2

defm.

defin. 7. n. 8. ut hæc bona hodiernis moribus redacta sint ad instar patrimoniorum : ergo siue privilegium loquatur de bonis, quæ quis *habet*, siue de *proprijs*, procedit de emphyteuticis. Probant III. Emphyteusis multum differt à Locatione, juxta *l. 1. ac 2. C. de Jure Emphyt. & §. adeò 3. Inst. de Locat.* Ergo licet juxta *cit. c. 8. h. t.* hoc privilegium non porrigatur ad bona conducta, non propterea excluduntur Emphyteutica.

212 Affert. II. Privilegium non solvendi decimas de bonis, quæ quis habet, aut possidet, non procedit de conductis & emphyteuticis. De conductis conclusio est communissima DD. Ratio aperta est. I. Quia Conductor & Colonus, Inquilinus, Depositarius, Commodatarius, similesque, possessionem nec civilem nec naturalem habent, cum non suo, sed alieno nomine in possessione sint. *§. Possidere Inst. de Interdict. l. fin. C. de acquir. poss. l. 1. C. si per vim*, & idcirco Conductor nunquam præscribit. *l. 2. & 7. §. ult. de Præscript. 30. ann. l. 13. ff. de usurp. & usucap.* Igitur non nisi improprie dici potest rem *habere* aut *possidere*. Atqui privilegium, quale est, de quo agimus, odiosum est, & nequam ultra proprium verborum sensum extendendum. II. Quia Pontifex *cit. c. 8. h. t.* ait, intentionis suæ vel antecessorum suorum non fuisse, immunitatem in prædijs conductis concede-

re, etsi illa esset concessa in prædijs, quæ proprijs manibus vel sumptibus colerentur : ergo etsi privilegium concessum sit de fundis, quos privilegiatus habet aut possidet, non propterea censetur datum esse etiam de conductitijs.

De bonis Emphyteuticis major est difficultas, estque haud dubie probabilis eorum sententia, qui dictum privilegium ad ea extendunt. tum ob allatas n. 211. rationes, tum quia Emphyteuta naturaliter possidet, etsi possessio civilis sit penes dominum directum, ut post Bartol. Alex. Jason. ac communem aliorum tradunt Menoch. *de retin. possess. remed. 3. à n. 82. & de recup. possess. remed. 1. n. 68. Valaf. de Jure Emph. q. 18. n. 1. & 6. Fulgos. consil. 1. n. 3. Harpprecht. ad §. 3. Inst. de Locat. n. 254. Molina de Just. 12. 2. disp. 12. n. 16.* Probabilior tamen videtur sententia negans, quam tenent Suar. *cit. c. 19. n. 11. & 12. & Palao cit. pun. 12. n. 9.* Probatur I. Quia bona Emphyteutica non sunt propria Emphyteuta : qui enim Emphyteusin concedit, dominium directum penes se retinet ; cum datio in feudum vel emphyteusin non sit modus transferendi domini directi, sed potius retinendi. *l. 1. C. de Jure emph. cit. l. 1. ff. si ag. ve. & sig.* unde Dominus directus adversus emphyteutam ob canonem non solum rei vindicatione ad privationem agere potest, & emphy-

phyteusin recuperare. Anton. Faber. *l. 4. C. tit. 42. defin. 7. n. 1.* Carpov. *p. 2. const. 38. defin. 16. n. 2.* Igitur Emphyteuta absolute non potest dici bonum emphyteuticum tanquam proprium vel habere vel possidere, nec in rigore ac propriissime est dominus. Atqui verba hujus, de quo loquimur, privilegij strictè interpretanda sunt, & tantùm intelligenda de domino ac possessore propriissime dicto, ut patet ex *c. 8. h. t.* ubi dicitur, Religiosos habentes immunitatem à solvendis decimis teneri eas solvere de agris, quos conduxerunt & receperunt ad firmam seu ad pensionem; sic autem recipiuntur bona etiam emphyteutica.

114 Probatur II. Si privilegium comprehendit bona emphyteutica, tunc etiam illa, quæ ad longum tempus sunt conducta: atqui hæc non comprehendit. Min. probatur: quia *cir. c. 8. h. t.* absolute negatur, quòd immunitas se extendat ad prædia conducta, neque sit discrimen inter ea, quæ ad breve, & quæ ad longum tempus conducta sunt: quod tamen discrimen fieri debuisset, si Pontifex eam restringere voluisset tantùm ad prædia generis prioris, non item posterioris: cum hæc postrema æquè propriè dicantur conducta, quam priora. Probatur etiã major. Conductor longi temporis habet dominium utile & actionem in rem,

ut tradit communis DD. cum Bartol. quem referunt ac sequuntur Valasc. *De Jure Emphyt. q. 29. n. 1.* Covarr. *l. 2. var. c. 16. n. 1.* Clarus *l. 5. sent. d. ult. q. 38. stat. 5. n. 4.* Ant. Gomez *in l. 40. Taur. n. 64.* Molina *l. 1. de Primogen. c. 21. n. 5.* Molina Th. *tr. 2. de Just. disp. 445. n. 4.* & apertè sumitur ex *l. 1. §. 3. ff. de superficie.* Et idcirco locatio ad longum tempus dicitur alienatio *c. 5. & Clem. 1. de reb. Eccl. alien.* Ergo si bona emphyteutica comprehenduntur privilegio non solvendi decimas, pariter comprehenduntur bona ad longum tempus conducta: ideò enim illa juxta adversarios comprehenduntur, quia in ipsis emphyteuta habet dictum dominiũ. Cum igitur non obstante hoc dominio conducta non comprehendantur, neque comprehenduntur emphyteutica.

Hinc non obstant, quæ *n. 211. 215* pro contraria opinione afferuntur. Negatur enim ex dictis, quòd emphyteuta & conductor propriè dici possit habere rem, quam conduxit, esseque ejus dominus. Leges, quibus dicitur esse dominus, loquuntur impropriè, ut bene observant Harpprecht. *prim. Inst. de R. D. n. 44.* ac alij, nim. ratione usufructus, quem in re habet. Hoc autem non est habere rem, aut esse dominum ipsius. Et licet in multis differat Emphyteusis à Locatione, saltem eã, quæ fit ad breve

brevē tempus, reverā tamen emphyteuticus fundus dicitur conductus ad firmam, seu ad pensionem; quæ autem sic conductæ sunt, vi dicti privilegij à decimis non eximuntur, ut dixi n. 213. in fine.

216 Explicandum restat, quid operetur forma Privilegij tertio, & quarto loco, adducta n. 209. Videtur dicendum, extendi illud ad prædia etiam conductæ, si cui Pontifex immunitatem concedat à decimis *laborum suorum* aut *propriorum*: nam si suis manibus aut sumptibus colit agros conductivos, fructus inde percepti sunt de *laboribus suis*, ac *proprijs*, & sic de illis verba rescripti eximentis proprijsimè procedunt.

217 Assert. III. Privilegium immunitatis dictis duobus modis concessum non comprehendit prædia conductæ. Ita deciditur *cit. c. 8. h. t. juncto c. 10. eod.* & utroque loco notant Panorm. omnesque Interpretes. Nec oportet, ut notat Suar. *cit. c. 19. n. 8.* alias hinc rationes querere præter voluntatem Pontificis, qui immunitatem illis verbis concessam noluit extendere ad prædia conductæ; tum ne Parochiales Ecclesiæ graviter

laderentur; tum ne Religiosi, alique privilegiati in conducendis agris excederent.

Ad rationem in contrarium R. his verbis *de laboribus suis, de laboribus proprijs*, non intelligi laborem, seu industriam ac operam, sed ipsos agros, ut patet ex *c. 1. h. t. cit. c. 10. ibi: decimas laborum suorum, quos proprijs manibus vel sumptibus colunt, indulgit*: non enim coluntur labores, sed agri laboribus. Dicitur quidem posset, hanc declarationem solum cadere in privilegia Jure communi contenta, & ante Alexandrum III. concessa, quia sic iste Pontifex declaravit non tamen hinc sequi, quod hoc modo intelligenda quoque sint privilegia à successoribus concessa vel in posterum concedenda: cum ille non potuerit declarare mentem successorum, utpote de qua ipsi non constabat. Verum respondetur, successores, si similibus verbis concedunt privilegium, similiter quoque intelligere, cum non sint ignari, Jure communi hunc sensum illis lubesse: unde si aliud non exprimunt, censentur loqui eodem sensu, quo antecessores.

QUÆSTIO VII.

Privilegium non solvendi decimas an proffit colonis, conducentibus agros privilegiatorum?

SUM.

SUMMARIUM.

219. Status questionis.

220. Privilegium personale non prodest colono.

221. Prodest reale.

222. Modus discernendi, siue reale an personale.

219 **S**ensus questionis est, an, si v. g. Religiosi immunes à pendendis decimis, locent suos agros, conductores quoque eà locantium immunitate gaudeant. Videtur hoc dubium aperte decisum *c. 11. h. t.* ubi dicitur: *Licet de benignitate Sedis Apost. sit vobis indultum, ut de laboribus, quos proprijs manibus vel sumptibus colitis, nemini decimas solvere teneamini: propter hoc tamen non est licitum vobis decimas de terris vestris subtrahere, quas alijs traditis excolendas.*

220 **A**ssert. I. Privilegium immunitatis à solvendis decimis, si sit personale, non prodest colono, cui privilegiatus fundum locavit. Veritas asserti manifesta est ex *cit. c. 11. h. t.* vi cuius cum ex locatis agris debeantur decimæ non obstant te privilegio locantis, consequens est, illas saltem tunc deberi, quando privilegium solum est personale. Estque manifestum ex *c. 9. de Privil. c. 7. de R. J. in 6. S. sed & quòd Inst. de J. N. L. 9. §. ult. de Publican.* quòd privilegium personæ concessum omnibus personæ inhæreat, & ad alios se non extendat. Tale privilegium est, quod Jure communi Religiosis concessum est *Can. 47.*

16. q. 1. c. 10. 11. & 12. h. t. quia datum est solum laboribus, seu prædijs, quæ proprijs manibus vel sumptibus colunt: at ea, quæ colunt per colonos, non colunt proprijs manibus vel sumptibus. Unde patet, verum esse, quod tradunt Suar. *cit. c. 19. n. 13.* Palao *cit. pun. 12. n. 10.* Pirhing *h. t. n. 67.* etiam Religiosos, si aliud privilegium, quàm quod Jure communi continetur, non habeant, teneri de fructibus, quos à colonis percipiunt, solvere decimas. Constat ex *cit. c. 11.* ubi non solis colonis obligatio imponitur, sed etiam Religiosis locantibus, cum absolutè dicatur: *non est licitum vobis decimas de terris vestris subtrahere, quas alijs traditis excolendas.* Et ita videntur explicare textum *cit. c. 11.* Abbas antiq. Innocent. Zabarell. Joann. de Anan. Joann. Andr. Ancharan. Ant. Butr. Hostiens. Panorm. ac passim alij, dum universim dicunt, eos, qui habent privilegium non solvendi decimas ex agris, quos proprijs manibus aut sumptibus colunt, ad easdem obligari de terris, quas tradunt alijs excolendas. Hinc Barbof. Gonzal. Wagnerek, ac alij in *cit. c. 11.* non benè faciunt mentionem solius coloni, vel

lut iste duntaxat, & non etiam Religiosi locantes, ad decimas ex agris locatis obligentur.

221 Affert. II. Si privilegium non solvendi decimas est reale, immunitatis est non tantum locator, sed etiam conductor seu colonus. Sic Glossa in Clem. 1. h. t. V. Excoletas, Anchar. Imol. Cardin. *ibid.* g. 23. Panorm. in c. 10. h. t. n. 5. Azor tom. 1. l. 7. c. 26. q. 7. Suar. & Palao h. c. Olea de cess. Jur. tit. 6. q. 3. n. 2. Gonz. in c. 4. h. t. n. 9. Unde cum Religiosi Mendicantes ac alij, hujusmodi privilegium reale habeant, quo non solum ipsi, verum etiam pradia eorum, a decimis solvendis eximuntur, liberi quoque ab illarum praestatione sunt coloni, ut ex pluribus Rota decisionibus probat Puteus *de decis.* 522. apud Gonzal. l. c. non quod ipsi etiam coloni hoc favore una cum locatoribus gaudeant, sed quod Religiosi possint sibi vendicare decimas ex suis praedijs, nim. vel exigendo pensionem majorem, quam alias petere possent, si colonus solvere deberet decimas, vel separatim petendo ordinariam pensionem, ac insuper aliquid pro decimis. Sensus igitur assertionis solum est, quod colonus praedij privilegiati non teneatur solvere decimas ordinario decimatori; non verò, quod non teneatur aliquam propterea compensationem facere locatori privilegiato; nam in hujus, & non in coloni commodum conceditur

privilegium. Ratio horum patet ex universali doctrina, quam de privilegio Reali, & Personali tradunt DD. ad c. Privilegium de R. F. in 6. l. un. §. ne autem C. de caduc. toll. l. 55. & fin. ff. de V. O. §. finitur 3. Inst. de usufr. & l. Imperatores ff. de Publican.

Tota porro difficultas, & dubium est, quodnam in praesenti materia Privilegium sit Reale, quod Personale. Respondet Panorm. privilegia Jure communi contenta solum personis concedi, & ideo ad colonos non extendi. Quod utique verum est, & ita quidem, ut per illud neque personae privilegiate eximantur, ut dixi n. 220. Verum restat quaestio de privilegijs Jure communi non contentis, quae multi habent Religiosi. Glossa citat, inspicienda esse privilegij verba. At de ipsis verbis saepe dubitatur, quem sensum habeant. Haec verò quatuor ferè modis concipi possunt. Primus est, Jure communi usitatus *de proprijs*, vel *de agris, quos proprijs manibus aut sumptibus colis*. Sic concessum, esse personale, patet ex dictis n. 220. Alter: *Eximimus hos Religiosos eorum pradia ab onere solvendi decimas*. Tertius: *Eximimus, sive per se, sive per colonos pradia colat*. Duobus his modis si concedatur privilegium, non est dubium, esse reale. Quartus est, si absolute dicatur: *Non teneantur solvere decimas ex suis praedijs*. Hac quoque

que ratione concessum, reale esse cenſeo cum Suar. l. c. n. 17. & Palao n. 10. quia si tunc coloni teneantur solvere, ipsi Religiosi exempti de suis prædijs solverent, cum tamen vi illorum verborum quoad sua prædia sint exempti: coloni namque non sunt immunes, ut dixi n. 221. sed decimas, quas aliàs Ecclesiæ solverent, exemptis locatoribus vel solvunt in natura, ut dicimus, vel aucta propterea pensione, quia ordinario decimatori ad nihil tenentur; vel aliâ hanc ob causam compensatione iisdem factâ. Si ergo coloni eas solverent ordinario decimatori, jam decederent exemptis, & sic illi de suis prædijs solverent. Accedit,

quòd Pontifex, si vult, ut v.g. Religiosi non sint exempti quoad prædia locata, addit: *de prædijs, quæ proprijs manibus aut sumptibus colunt*, ut patet ex cit. can. 47. & c. 10. 11. ac 12. h. t. ergo si illa non addit, concedit etiam de locatis. Quintus denique modus est *Non solvant decimas de fructibus prædiorum suorum*. De hoc dicendum est, quod de priore: fructus enim etiam illi, quos colonus percipit, sunt ex prædijs privilegiatorum: ergo si decimas solverent coloni, jam non consisteret immunitas, quæ illis concessa est de fructibus suorum prædiorum; nam non colonus, ut diximus, sed ipsi exempti solverent.

QUÆSTIO VIII.

Quinam habeant Privilegium non solvendi decimas?

SUMMARIUM.

- | | |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>223. Privilegium aliud Furi communi insertum, aliud non insertum.</p> <p>224. Concessum olim plerisque Regularibus, variè postmodum restrictum fuit.</p> <p>225. Nulli Regulares tenentur ad decimas ex novalibus proprio sumptu cultis.</p> <p>226. Non tenentur ex fœtibus suorum animalium.</p> <p>227. Nec ex hortis, nisi hos vel illa elocent.</p> | <p>228. Nec ex fundis pro fundatione datis: nisi ante fuerint decimis subjecti.</p> <p>229. Quidam Ordines Regulares ab omnibus decimis sunt immunes.</p> <p>230. Præcipuè Ordo S. Salvatoris.</p> <p>231. Et Societatis Jesu.</p> <p>232. Pro hujus exemptione aliquoties in judicio contradictorio pronuntiatum fuit.</p> <p>233. Contra eam nunquam.</p> <p>234. Dicti Ordines solum ad illas</p> |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

N deci-

decimas tenentur, qua speciali titulo privilegij vel prescriptionis alicui debentur.

235. Regulares à decimis prædialibus exempti multò minus obligantur ad personales. Usus hujus doctrina.

236. Exemptio uni Ordini concessa non est communis reli-

quis. Quod tamen limitatur.

237. Quousque se extendat, declaratur.

238. Leprosi in commune viventes non tenentur ad decimas ex suis hortis.

239. De alijs communitatibus & personis nihil jure communi expressum est.

223. **P**ostquam explicatum est, quis immunitatem à præstandis decimis dare possit, & quousque ea porrigatur, dicendum restat, quibus data sit. Privilegia non solvendi decimas alia sunt antiquitus concessa, & Juri communi inserta; alia posterioribus seculis certis Ordinibus Religiosis per speciales Bullas aut vivæ vocis oraculo data sunt, sicque Juri communi non inserta. Quia verò posteriora prioribus ferè ampliora sunt, idcirco ad confusionem vitandam de utrisque singillatim agendum est.

224. **A**sert. I. Jure communi olim ferè omnes Religiosi erant exempti à solvendis decimis tam personalibus, quàm realibus ex suis prædijs, ut pat. tex *Cum. 47. 16. 9. 1. & c. 10. h. t.* Quod tamen privilegium postea variè fuit restrictum, ut constat ex *cit. c. 10. c. 8. & c. 34. h. t.* Postea verò Martinus V. Cisterciensibus generaliter indulgit, ut à decimis essent immunes, tam de possessionibus habitis ante & post Concilium Lateranense, quàm de cætero habendis, etiam de Novali-

bus, quando cunque & qualitercunque ea colent; etiam de illis possessionibus, de quibus aliquis hæcenus decimas percepit. *Chopin. de sacr. Polit. l. 3. m. 8. Zypæus consult. 8. m. 4. & 5.* Quod postea Sixtus IV. confirmavit. Et licet Zypæus n. 6. dubitet, an hoc privilegium in viridi passim observantia sit, quatenus excedit privilegia Corpori Juris inserta, illud tamen defendit *Wam. h. t. consult. 450.*

Asert. II. Religiosis reliquis vi Juris communis *cit. c. 10. h. t. & Clem. 1. eod.* concessum duntaxat est, ut de novalibus suis, que proprijs manibus aut sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis decimas non persolvant. I. Jgitur, etsi solvere teneantur ex antiquis prædijs, sive suis illa manibus vel sumptibus colant, sive elocent, non tamen solvunt de novalibus, quamdiu ista colunt suis sumptibus, seu per operas & famulos; non item, si

II. Non solvunt de nutrimentis animalium suorum, sive de foetibus

animalium, quæ nutriunt ipsi, ut exponit Gloss. in Clem. 1. h. t. V. animalibus. Unde inferunt Ancharan. in cit. c. 10. & Rebuff. q. 14. n. 57. teneri solvere, si alijs dent nutrienda. Verum, ut notant idem Rebuffus, & Moneta c. 5. n. 15. etiam si per alios custodiant, dicuntur nihilominus ipsimet nutrire; modò, ut ajunt, vespere ad Monasterium reducant. Quod existimo procedere etiam tunc, quando per famulos Monasterij custodiuntur & in villis ejusdem ac caulis à Monasterio remotis nutriuntur: partim quia hac ratione sunt nutrimenta animalium suorum; partim quia ad hoc, ut dicantur ipsimet Religiosi nutrire, parùm interest, utrùm caula Monasterij intra an extra illud sit. Igitur tunc solùm ad solvendas de suis animalibus decimas obligantur, quando pecora locant, v.g. quando oves aut vaccæ eo pacto locantur, ut conductor quot annis certam de singulis quantitatem lanæ aut butyri & casei solvat, earumque periculum, & casum præstet. Quæ conventio ab Italis Soccidæ dicitur, à Germanis, apud quos frequentissima est, ferreæ oves & vaccæ vocantur (Cisserne Schaaf / und Rûhe) quòd locatori nunquam pereant.

227 III. Non solvunt decimas ex Hortis. Et quia cit. c. 10. absolutè eximuntur à decimis suorum hortorum, idcirco, ut notat Gonzal. ibi n. 3. non tantùm de oleribus &

fructibus arborum nihil debent; sed neque ex frumento, hordeo &c. quæ inde colligunt: cùm nec genus fructuum, nec quantitas, sed qualitas fundi attendatur. Addunt tamen Panorm. in cit. c. 10. & in c. 2. de Eccles. adif. Rebuff. l. c. n. 58. Moneta l. c. 16. & 17. illos etiam ex hortis obligari, si eos, vel elocent, vel ipsi quidem colant, olera tamen vendant: cùm textus intelligendus sit de hortis, quos ad usum proprium habent. De casu, quo locatur hortus, non est dubium, ut colligitur ex cit. c. 10. & à paritate cum novalibus, & pecoribus, ex quibus debent decimas, nisi proprijs manibus aut sumptibus colant, ac ipsi nutriant. De altero casu venditorum fructuum multùm ambigo: quia cit. cap. absolutè conceditur in hortis immunitas, si eos suis manibus aut sumptibus colant, neque fit discrimen inter fructus ab ipsis Religiosis consumendos & vendendos; uti nec fieri oportuit, cùm per accidens sit, si propter domesticas necessitates aut abundantiam fructuum partem eorum vendant. Neque valet ratio, quam addit Rebuffus l. c. nim. non debere Religiosos negotiari & secularia exercere. Negotiatio enim neutiquam est, si vendant superfluos suorum fundorum fructus, ut communissima DD. tradit ad c. 2. Ne Cler. vel Mon. & decidit S. Congregatio Trident. referente Card. de Luca Miscell. Eccles. discurs. 6. à

n. 4. & discurs. 52. de Regalib. n. 8. nisi prædia conducant eo fine, ut ex fructibus inde collectis quæstum faciant, ut habetur c. 6. *Ne Cler. vel Mon.*

228 IV. Non solvunt decimas ex agris & vineis, quæ in stipendium habent, ut Moneta *l. c. n. 17.* alique ajunt, seu, ut interpretamur, quæ habent pro fundatione & in necessariam sustentationem. Ita Glossa ac alij intelligunt textum *can. 46. 16. q. 1.* & patet à sensu contrario ex *c. 2. h. t. in 6.* Quod tamen ex *cit. c.* limitandum est; nisi fundi antea fuerint subiecti oneri decimarum, & per fundationem ac translationem in Monasterium non liberati.

229 Assert. III. Specialibus privilegijs realibus, Juri communi non infertis, bona omnia quorundam Regularium SS. Pontifices exemerunt à decimis prædialibus, & ne teneantur solvere decimam personalem, nec quartam, vel medietatem, vel aliam fructuum partem, aut canonicam portionem Episcopo, Parocho, aut alijs; quamvis isti haberent possessionem cum titulo & immemoriali consuetudine. Patet assertio ex privilegijs Bullatis diversorum Ordinum Religiosorum, quos enarrant Henriquez *The. l. Mor. l. 7. c. 27. §. 3. & 4.* Aug. Barbosa *de Offic. Par. c. 28. §. 3. à n. 20. & in c. 10. h. t. n. 5.* Franc. Leo *Thes. For. Eccl. p. 2. c. 12. à n. 63.* Gonzal. *in c. 4. h. t. n. 8.* Miranda *in Manuali tom. 2. q. 49. art. 12.*

Pellizar. *in Man. Regul. tom. 2. tr. 8. c. 7. à n. 168.* Ant. Faber *l. 1. Cod. tit. 3. defn. 1.* qui ait, Religiosorum Mendicantium singulare jus esse, ut fructuum in ijs fundis perceptorum, quos proprijs seu manibus seu sumptibus colunt, decimas nullas debeant. Addit, plerisque concessa esse privilegia, ut nullas omnino decimas præstare teneantur. Quo casu, inquit, nec dubitandum est, quin ea immunitate frui debeant.

Insigne maximè est privilegium, quod Canonicis Regularibus S. Salvatoris concessit Julius I. in Bulla *Inter ceteros*, edita 2. April. ann. 1512. ubi §. 40. dicitur: *Nullusque ab eisdem de quibuscunque possessionibus ubilibet constitutis, quæ in præsentem sunt, vel in futurum erunt, Monasteriorum, Prioratuum, & bonorum, dictæ Congregationis S. Salvatoris, ac Monialium, sive sororum, & oblatarum personarum hujusmodi utriusque sexus, quæ illius Prælati, Canonici, Moniales, sive Sorores, & dictæ persona oblata, colunt, seu colificiunt, & in futurum colent, ac colificient, ex hortis, virgultis, piscationibus, vel de nutrimentis animalium, primitias, decimas, quartas, aut quocunque modo nuncupata alia Jura, exigere vel extorquere præsumat, nec ipsi ulla culpam solvere sint adstricti.*

Insigne pariter est illud, quod concessit Gregor. XIII. Religiosis Soc.

Soc. Jesu 1. Januar. Ann. 1578. in Bulla *Pastoralis Officij*, ubi non solum confirmat exemptionem eidem Societati concessam à Paulo III. & Pio IV. quoad quascunque decimas, etiam Papales, prædiales, personales, quartas, medietates, & alias fructuum partes, ac subsidia etiam charitativa, vel alia ordinaria onera, etiam pro expeditione contra infideles, defensione patriæ, & aliis quomodolibet, etiam ad Imperatorum, & inferiorum Principum instantiam imposita; idque quamvis in ipsa impositione caveatur, quod nulla prorsus exemptio cuiquam adversus illam suffragetur, excepto tantum casu, quo in Litteris Apostolicis plena, expressa, ac de verbo ad verbum fieret mentio de hoc indulto ac concessione hujusmodi, & de eorum Ordine. Sed etiam specialiter ac expressè derogavit capitulo 34. *b. t.* quo statuitur, ut quicumque Religiosi non obstantibus privilegijs antea concessis, de terris alienis, & ijs insuper, quas post dictam Innocentij Constitutionem acquirerent, sive per emptionem, sive per donationem, vel alio titulo, decimas solvant Ecclesijs, quibus alias debebantur. Estque hoc privilegium reale, & ad Colonos, qui Societatis agros conducunt, extenditur, ut patet ex Bulla.

232 Juxta hoc privilegium non semel pro eadem Societate judicatum est Romæ & in Hispania, uti

testantur, & decisiones referunt Henriq. *l. c. §. 7. litt. H.* Pellizarius *l. c. n. 170.* Franc. Leo *l. c. n. 69. & seqq.* quibus declaratum est, illo comprehendi omnes decimas etiam prædiales, etiam de bonis in posterum acquirendis, etiam colonorum; non obstante jure quæsito ordinarij decimatoris, ejusdemque præjudicio; nec obstante Brevis Pij V. quo revocavit privilegia Pauli III. & Pij IV. super exemptione à decimis; neque obstante non usu quorundam Collegiorum, uti ostendit idem Leo *n. 65.*

Affirmat quidem Pignatelli *tom. 233* 1. *consult. 223. n. 15. & 28. ac consult. 355.* à S. Congregatione in causa Cracoviensis Collegij, semel ac iterum post maturam discussionem, & auditis utrimque partibus, judicatum esse, quod PP. Societatis Jesu, alijque Regulares, teneantur solvere decimas ex prædijs, ex quibus à laicis illæ fuerant solutæ, antequam ad Regulares pervenirent. Verum contrarias decisiones, ut dixi, referunt Henriq. Franc. Leo, & Pellizar. *ll. cc.* & quidem postremus in eadem causa Cracoviensi, mirumque profectò est, S. Congregationem contra clarum textum Bullæ Gregorianæ, & plures Rotæ conformes decisiones judicasse. Unde credibile est, decretum illud S. Congregationis factum esse in casu, quo enormis læsio ex Regularium immunitate Ecclesijs nasceretur.

234 Quin ipse Pignatelli suum asser-
tum uniuersale multum limitat
rom. 5. consult. 8. cum enim *n. 1.*
pro Regularium privilegio multo-
rum Pontificum Bullas, complu-
res Rotæ decisiones & conformes
sententias, usum ac consuetudi-
nem, gravésque rationes produxif-
set, tandem *n. 10.* concludit, hoc
privilegium eximere quidem ab
illis decimis, quæ Parochijs ac Ec-
clesijs de Jure communi debentur,
non item ab illis, quæ præter Juris
communis dispositionem aliquo
jure speciali solvuntur. Idque ante
ipsum asseruit Cherubin. *in Com-
pend. Bullarj in Gregorio XIII. c. 51.*
agens de dicto privilegio Societa-
tis, addensque, ita censuisse Rotam
Romanam a. 1598. At verò Regu-
lares ultrò fatentur, si cui speciali
titulo, v.g. præscriptionis, vel privi-
legij Apostolici, decimæ debentur,
illi non nocere immunitatem al-
teri concessam, cum peculiaria
Jura censeatur ignorare Pontifex
c. 1. de Constit. in 6. & sic iisdem
non velle derogare, nisi exprimat,
ut cum Panorm. *in c. Dudum de
Privileg.* ac communi aliorum
tradunt Covarr. *lib. 1. var. c. 17.
n. 14.* Suar. *de LL. lib. 8. c. 14. n. 8.
c. 22. in fin. c. 28. n. 8. & 10.* Saà
*V. Gratian. 14. Palao tr. 3. disp. 4.
pun. 10. n. 11.* Hinc malè cohæ-
rent, quæ idem Pignatelli addit *n.*
11. hoc privilegium non procede-
re adversus Parochos, qui ante il-
lud erant in continua possessione:

ex eo enim, quòd procedit de de-
cimis Jure communi debitis, ut
procedere ipse concedit, necessa-
riò sequitur, quòd procedat de il-
lis, in quarum continua possessio-
ne fuerunt Ecclesiæ; nam vel ma-
ximè in earum jugi possessione sunt
Ecclesiæ. Illud verò, quod *n. 12.*
addit, neque amicè, neque cum ve-
ritate dictum est, ex eo, quòd in
privilegio Pontifex se inclinatum
supplicantium Regularium præci-
bus dicit, apparere, quòd potius
impetratum sit importunitate pe-
tentium, quam motu proprio Prin-
cipis: nam constat, motus, ut vo-
cant, proprios à summa Sede sæpe
pròdire, quamvis supplicarint ijs,
quibus favor conceditur; quin
propterea illis vis, quam motus
proprij habent, jure negari, ac dici
possit, importunè extortos esse. Ra-
tiones, quas contra Regulares pro-
fert, infirmæ prorsus sunt, si com-
ponantur cum ijs, quas pro iisdem
antè produxerat, ut consideranti
patebit.

Ex dictis apparet, Religiosos spe-
ciali privilegio munitos de non
solvendis decimis realibus, à for-
tiori non obligari ad personales.
Cujus exemptionis utilitas (ut be-
nè observat Laymannus *l. 4. Th.
Mor. tr. 4. c. 3. n. 4. §. Ex quibus*) non
tam in eo consistit, quòd non ce-
neantur ad decimas personales ex
lucris propriæ industriæ (nam ad
has etiam laici ex desuetudine plu-
rimis in locis non tenentur) sed
maxi-

maximè in eo, quòd immunes sunt à decimis ex illis terris, quæ antequam ad ipsos pervenirent, nullos aut exiguos fructus ferebant, ideòque nullis vel modicis decimis Ecclesiæ Parochiali pendendis obnoxix erant, ut tradunt Glossa recepta *in c. 4. h. t. & in c. 21. de V. S. Abulenf. in c. 23. Matth. 9. 194.* ac patet ex dictis n. 183.

236 Dubium hic incidit, an dictum privilegium uni Ordini Religioso concessum, ijs omnibus sit commune, qui cum illo de privilegijs participant? Negat Barbosa *cit. §. 3. n. 31.* idque non unà Rotæ sententià decisum esse ait. Verùm, ut observat Engel *h. t. §. 3. n. 4.* quoad huiusmodi decisiones notandæ sunt aliquot limitationes, quas ex alijs Rotæ decisionibus affert Pasqualig, *in annot. ad Laurer. de Franchis tr. de contro. inter Episc. & Regul. p. 2. q. 72. à n. 10.* nim. in generali communicatione Privilegiorum venire etiam exemptionem à decimis, si communicatio sit talis, ut exprimat aliqua præjudicialia privilegia, saltem in genere, vel ad sit talis amplitudo verborum, ut significet, mentem Pontificis se extendere etiam ad reliqua non expressa. Neque opus tunc est, ut in communicatione specialiter derogetur Capitulo *Nuper de decim.* sine qua derogatione non subsistit exemptio à decimis: sufficit enim, si derogatio facta sit in privilegio communicato; tunc enim implici-

tè continetur in ipsa communicatione, ut cum Glossa *in c. Ut circa de Elect. in 6.* Casarub. ac Mandos. tradit idem Pasqualig, n. 12. præfertim si in rescripto communicante habetur clausula *Quorum tenorum &c.* hæc enim operatur, ut privilegia communicata censeantur communicationi de verbo ad verbum inserta. Hinc quia privilegium Societati JESU concessum, de quo paulò antè, non habet restrictionem Incommunicabilitatis, non apparet, cur illo uti non possint cæteri Religiosi Mendicantes, alique, qui de privilegijs dictæ Societatis participant; modò in communicationis rescripto ea contineantur, quæ modò diximus requiri ad universalem omnium privilegiorum communionem. Quod maxime locum habere videtur, si ratio, propter quam uni Ordini concessum est privilegium, pugnet etiam pro alijs. Ratio autem concedendi sunt labores, quos Religiosi sustinent in Sacramentis administrandis, prædicando &c.

237 Quà porrò ratione dicta Regularium privilegia interpretanda sint, & quousque se extendant, abundè explicavimus hoc capite. Nimirum strictæ quidem interpretationis sunt, ut diximus *q. 2.* ad decimas tamen ex antiquis prædijs solutas se extendunt juxta dicta *q. 3.* Nec non ad decimas Novalium, ut assertum est *q. 4.* Ad prædia quoque post obtentum privilegium acquisita

sita, nisi specialiter limitentur ad prius possessa, ut resolvimus q. 5. Non tamen ad bona conducta & emphyteutica: nisi horum specialis mentio in rescripto immunitatis fiat, ut decidimus q. 6. Denique juxta tradita q. 7. non extenduntur ad prædia locata: nisi sint privilegia realia.

238 **A**ssert. IV. Leprosi in commune viventes non tenentur de suis hortis, qui sunt in circuitu domûs, & de animalibus, quæ nutriunt, decimas solvere. Ita refertur *c. Cum dicat 2. de Eccles. adif.* ubi cum præmissum fuisset, posse ipsos propriam sibi Ecclesiam & Coemeterium construere & proprium habere Presbyterum, sine præjudicio tamen veterum Ecclesiarum &c. additur: *Statuimus etiam, ut de hortis, & nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur.* Rationem dat Glossa: quia proprio Sacerdoti eas præstare tenentur. Unde ad immunitatem à decimis Ecclesiæ Parochiali solvendis requirere videtur, ut habeant propriam Ecclesiam, coemeterium, & Sacerdotem. Idem requirunt Laym. *cit. c. 3. n. 4. §. Porro.* & Wagnereck *in c. 10. h. t. not. 2.* Verùm hujus conditionis nec Panorm. aliique Interpretes antiqui, nec Vivian. Algora, Barbosa, ac alij RR. mentionem faciunt, neque ex *cit. cap.* erui potest; sed videtur ipsis exemptio absolutè esse concessa intuitu pietatis, ac misericordiæ, & quia cum alijs fidelibus propter

contagium se imiscere nequeunt, ut ait Gonzalez *in cit. cap.* Quæ ratio procedit, etiam quando non habent proprium Sacerdotem & Ecclesiam. Addit tamen Barbosa *c. 28. de offic. Paroch. §. 3. n. 48. & in cit. c. 2. n. 2.* censuisse Rotam Roman. Leprosos, ut hac immunitate gaudeant, debere ita communiter vivere, ut si esset aliquod Hospitale, in quo curarentur leprosi, simulque alij infirmi, immunes à decimis non essent, quamvis in ejusmodi Hospitali separati forent ab alijs infirmis.

An aliæ communitates præter recensitas habeant immunitatem à decimis, & an privatæ quædam personæ, non est nostrum hic examinare, tum quia Jure communi nihil de hoc expressum est, tum quia nec necesse nec possibile ferè est, statuere, quænam in particulari vel communitates vel singulares personæ exemptæ sint. Illud addidisse sufficiat, vi Juris communis exemptos non esse Clericos, etiam si in commune vivant. Neque enim admittendum est, quod absque dubio tenendum esse asserit Moneta *c. 5. n. 6.* Canonicos, si nunc cõmuniter viverent, prout in primitiva Ecclesiâ faciebant, non fore obligatos ad decimas de laboribus ac nutrimentis suis. Textus enim Canonis 47. 16. q. 1. quem adducit, non loquitur de Clericis secularibus, sed Regularibus, & pauperatam in cõmuni profitentibus.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

Privilegium non solvendi decimas quomodo amittatur?

SUMMARIUM.

240. Cessat Privilegium prædij, si hoc alienatur à privilegiato in non privilegiatum. Quod alienato substituitur, sit privilegiatum.
241. Cessat exemptio, si inde enormis læsio alteri nascatur.
242. Ut cesset, necesse est hanc læsionem intervenire.
243. Non est ista metiendæ à multitudine Conventuum Regularium, sed à paupertate Parochiarum.
244. Declaratur, quando circa eam opus sit decisione Judicis.
245. Amittitur exemptio per non usum.
246. Si per hunc decimator contra privilegiatum præscribit.
247. 248. Solutio oppositorum.
249. 250. Ad præscribendum contra exemptam Ecclesiam requiruntur 40. anni: contra privatos tempus ordinarium.
251. Exemptio concessa sine mentione pacti contrarij invalida est.
252. Tollitur per subsequens pactum de solvendo.

240 **A**n tequam tradamus modos, quibus hoc privilegium extinguitur, præmittendum est, si Religiosi vel alij privilegiati sua prædia immunita alienent in non privilegiatos, cessare privilegium, quamvis reale. Ratio patet: quia privilegium etiam reale semper personam respicit, cum sola persona capax sit favoris & beneficij per privilegium concessi. Eo ipso igitur, quod prædium favore Religiosi Ordinis vel alterius Communitatis exemptum, transit ad alium possessorem, qui par privilegium non habet, desinit esse exemptum; cum totus ille favor sit Religioni

factus, non item in commodum aliorum, qui simile privilegium non habent. Neque Communitas, cui favor concessus est, illum pro arbitrio in alios transferre potest, nisi id specialiter concessum ipsi sit. Si tamen privilegiatus prædium alio permutet, aut vendat, ut pretio inde redacto aliud emat, illud priori substitutum ac privilegiato acquisitum, exemptum erit, uti exemptum erat prius. Quod verum est, uti benè observat Suar. c. 20. etiamsi privilegium non sit datum pro bonis post ejus concessionem acquirendis, sed solum pro illis, quæ privilegiatus tempore concessi

○

cessi

cessi favoris possidebat: quia prædium priori substitutum non est simpliciter acquisitum de novo, sed alteri solum subrogatum, ac idcirco sortitur naturam & conditionem illius, cui substituitur. Ratio ulterior est, quia restrictio privilegij ad prædia tempore concessionis possessa, odiosa est, & sic explicanda de acquisitione omnino nova, qualis non est, si prædia non multiplicentur, sed priori tantum substituitur aliud: cum *c. 34. h. t.* immunitas à decimis quibusdam Religiosis concessa, restringatur ad prædia jam possessa, & negetur *de terris alienis & amodo acquirendis* solum idem, *ne occasione privilegiorum Ecclesia ulterius prægraventur*: at istæ non prægravantur, saltem non notabiliter, si prioribus prædijs tempore concessi favoris jam possessis, alia substituuntur; sic enim non ditescit privilegiatus cum præjudicio aliorum, sed solum censetur retinere id, quod antè habuit, & pro quo accepit privilegium.

241

Affert. I. Privilegium non solvendi decimas cessat, si ex illa enormis læsio ac gravamen nascatur Ecclesijs, vel alijs, quibus jus decimandi competit vel Jure communi, vel speciali titulo, v. g. privilegij, aut præscriptionis. Patet ex *c. 9. h. t.* & tradunt ibi Panorm. Joann. Andr. aliique omnes, Ratio quoque patet: quia non est mens concedentis cum magno dispendio il-

lorum, quibus jus quæsitum est, cuiquam conferre privilegium: foret enim ejusmodi concessio injusta. Hinc invalida est concessio, si cedat in enormem læsionem. Solum igitur dubitatur, quandonam læsio censeatur esse gravis seu enormis? Secundò, an mox ipso facto extinguatur privilegium, si læsio inde oriatur; an verò opus sit sententiâ Judicis saltem declaratoriâ læsionis & extincti privilegij?

Primum dubium tollit Pignatelli *tom. 8. consult. 8. n. 22.* dum ait, nullâ amplius discussione opus esse, graviter an modicè privilegia lædant: cum S. Congregatio censuerit à Regularibus non obstantibus, quæ produserant privilegij, *solvendæ esse Parochis, & alijs Beneficiatis Regni Polonia decimas, quæ solvebantur à laicis, priusquam bona in ipsorum Regularium proprietatem fuerint translata.* Verùm ex una alterave decisione inter certas personas, & certis in circumstantijs facta perperam inferitur universalis conclusio, Regulares à decimis, quas laici antè solverant, non esse immunes. Fatetur ipse *n. 23.* S. Congregationem nihil de novo constituisse, sed tantum declarasse dispositiones Apostolicas, & privilegia. Cum igitur privilegia sint clara, & comprehendant omnes decimas, ut patet ex dictis *n. 229.* non universim illa declaratio facta est (sic enim non fuisset declaratio sed nova

nova constitutio & privilegiorum abrogatio) sed solum in illa controversia Polonica, & speciali casu facta est, haud dubie, quia Parochia, cum quibus litigabant Regulares, enormem se laesionem pati ostendebant, vel quod ibi privilegia contrario usu sublata, aut recepta nunquam fuerant &c. Unde neque obest Breve Innocentij X. quod producit n. 21. illo enim non fit aliqua decisio generalis adversus Regulares, sed solum confirmatur illa S. Congregationis declaratio.

148 Addit idem Auctor n. 12. laesionem metiendam non esse a paupertate Parochialium Ecclesiarum, quibus per Regularium privilegia decimae decedunt, sed a multiplicatione Conventuum & Collegiorum, & ex acquisitione, quibus valde divites facti sunt quidam Regulares. Censet igitur, eo ipso cessare privilegia, si bona multiplicent, & divites fiant. Probat ex *cit. c. 9.* ubi Pontifex quibusdam Religiosis privilegiatis mandat compositionem cum decimatoribus, ob causam ibi adjunctam: *nam quando Romana Ecclesia Ordini vestro privilegia de decimis dederat, uti erant rara Abbatia vestri Ordinis, quod exinde nulli poterat de jure scandalum suboriri: sed nunc in tantum augmentata sunt, ac possessionibus ditata, quod multi Viri Ecclesiastici de vobis apud nos querelam saepe proponunt.* Unde cum habeamus, inquit Pignatelli,

textum rotundissimum, non tenemur recurrere ad glossas & interpretationes Doctorum. Verum hanc rotunditatem textus nemo Interpretum praeter ipsum (nisi forte Malderus) vidit, estque haec *enormis laesionis* explicatio nova & antea inaudita. Longe aliter hanc laesionem exponit Alexand. IV. *c. 2. §. 2. h. t. in 6.* dum ait: *ubi autem per hujusmodi concessionem decimarum parochiales Ecclesias adeo gravari contingit, quod earum Rectores de ipsarum redditibus congrue sustentari, & commode Fura Episcopalia exhibere non possunt: provideatur per locorum Ordinarios, & ordinetur taliter, quod iisdem Rectoribus tantum de illarum relinquatur proventibus, quod exinde competentem sustentationem habere & Episcopalia Fura solvere valeant, aliaque onera debita supportare.* Igitur tunc solum est laesio gravis, cessantque exemptiones, quando Ecclesiarum Rectores, quibus alias decimae deberentur, non possunt sine illis congrue se sustentare. Quae decisio cum sit posterior illa Alexandri III. *cit. c. 9.* eandem declarat, ostenditque non esse metiendam laesionem ex divitijs exemptorum Regularium, sed ex gravamine Parochialium Ecclesiarum, quae alias congruam sustentationem non haberent. Ita quoque explicatur gravis laesio *c. 21. de Privil. & c. de Censib.*

244 De altero dubio, an videl. in casu enormis læsionis amittatur privilegium ipso jure, an verò necessaria sit declaratio vel revocatio Superioris, fusè agunt Panorm. *in cit. c. 9. c. 16. de Cler. non resid. n. 8. c. 21. de V. S.* Joan. Andr. & Felin. *in c. 8. de Constitur. Ego cum Suar. c. 20. n. 1. & 2. Palao pum. 13. n. 1. & 2. Pellizar. Man. Regul. tr. 8. c. 7. sect. 5. q. 12. Gonzalez in cit. c. 9. h. t. Pirrhing h. t. n. 73. & 74. breviter sic statuo. I. Si manifesta est enormis læsio, & de ea constet exempto, non potest suo privilegio uti, & utendo justitiam lædet. Ita cit. DD. cum Glossa *in c. 15. 25. q. 2.* Panorm. ac alijs. Ratio patet: quia voluntas concedentis ad hunc casum læsionis se non extendit, inestque privilegio semper tacita hæc conditio, *si & quamdiu Ecclesia inde graviter non læditur.**

II. Etiam si gravis læsio sit manifesta, non poterit tamen ordinarius decimator propria auctoritate exemptum cogere ad solvendas decimas, sed necessaria est Judicis sententia: quia jus sibi ipse dicere non potest, quamdiu adiri potest Judex competens, ut manifestum est. Non poterit tamen Judex SS. Pontifice inferior privilegium moderari: cum enim tunc omninò nullum sit, nequit ab inferiore, utpote potestatem conferendi privilegij non habente, vel totum vel quoad partem restaurari.

III. Si enormitas læsionis mani-

ifesta non est, ac idcirco necessarium arbitrium, adeundus est SS. Pontifex, ut decernat, an privilegium eo casu locum habeat: nam solus ille, qui privilegium concessit, de vi ejusdem cognoscere potest. *c. 12. de Judic. l. 191. ff. de R. J. l. 43. ff. de vulg. & pup. subst.* Manifestum porrò est illud, quod Gonzal. *l. c.* sumè notandum esse dicit, SS. Pontificem, etsi judicet læsionè esse enormem, nihilominus non teneri, privilegiù omninò tollere, sed posse illud moderari, ita ut magnum gravamen non inferat; cum potuerit initio illud sic temperatum licitè, & validè concedere.

IV. Si non est manifesta læsio enormis, sed dubia, inire compositionem cum decimatore potest exemptus. Patet ex *cit. c. 8. & 9. h. t.* Difficile verò est, quod insinuat Suar. *l. c. n. 2.* posse compositionem fieri, tamen si læsio manifesta sit, dum ait, illam maxime locum habere, quando enormitas læsionis manifesta non est. Hæc enim si manifesta est, certum est jus decimatoris: compositio verò locum non habet, nisi quando justitiantium est dubium. Verùm dici potest, adhuc locum esse compositioni: quia potest SS. Pontifex etiam in casu enormis læsionis moderari privilegium, ut modò diximus, & ita restringere, ut graviter non lædat: poterit igitur, quia moderatio est dubia & incerti eventus, compositio tanquam de re con-

controversa fieri. Patet ex *cit. c. Dilecti s. b. t.* ubi cum Pontifex dixisset, decimatores enormiter gravari ob prædia à privilegiatis conducta, & decimas inde non solutas, addit: *Mandamus, quatenus de prædijs, qua conductistis in Parochijs suis, de quibus consueverunt (decimatores) decimas percipere, plenarie solvatis eisdem, vel cum ipsis amabiliter componatis.*

245 Assert. II. Privilegium non solvendi decimas amittitur per non usum, seu per solutionem decimarum. *c. 6. & 15. de Privil.* Quot actus solutionis requirantur, ut amittatur, controversum est. Sufficere unicum videtur constare ex *c. 8. de Constitut.* ubi statutum cujusdam Ecclesiæ Tullensis de non eligendo Primicerio, quamvis auctoritate Sedis Apost. confirmatum, dicitur cessasse, si Canonici illius Ecclesiæ contraverint, aliquem in Primicerium eligendo. Unde inferunt communiter DD. cum Glossa *ibi*, privilegium negativum, quale est immunitatis à præstandis decimis, tributis &c. cessare per unicam contraventionem seu actum ipsi contrarium, si contra privilegium operantes ei renunciare possint.

246 Verum dicendum est, non cessare hoc privilegiu per solutionem decimarum semel factam. Patet assertio ex communi doctrina de Privilegijs in communi, quam late firmant Greg. Lopez *lib. 42. tit. 18.*

p. 3. Suar. de LL. c. 35. n. 10, Salas eod. tract. sect. 13. n. 66. Basil. Pont. lib. 8. c. 18. §. 3. n. 27. Layman. l. c. n. 11. Palao tr. 3. disp. 4. pun. 19. n. 3. Bonacina disp. 1. q. 3. pun. 8. §. 6. n. 12. nim. privilegia, quæ in aliorum gravamen cedunt, & tractum habent successivum, eò quòd dentur ad plures actus, non amitti etiam pluribus actibus, nisi ex parte illorum, qui gravati sunt, detur præscriptio. Quæ doctrina clarè deducitur ex *cit. c. 6. & 15. de Privil. l. 2. ff. de Privil. Veteran. l. 12. C. de excusat. tutor. l. 1. & 2. C. de ijs, qui mun. sponte suscip.* Ratio est, quia hujusmodi actus non sunt contrarij toti privilegio, cum non sint contrarij omnibus actibus, ad quos privilegium se extendit. Igitur per actum contrarium immunitas solum perditur quoad ipsum, nim. ut repetere exemptus non possit, quod contra suam immunitatem solvit, ut tenet communis DD. & patet ex *c. 3. de his, qua fiunt à maj. & c. 20. de off. Deleg.* Jam verò immunitas à decimis est privilegium successivum: non ergo amittitur, nisi per præscriptionem partis gravatæ.

Dices: Potest præscribi per unicum actum, ergo decimator contra exemptum præscribit, etiam si hic tantum semel decimas solverit. Respondetur, antecedens tunc solum esse verum, quando actus ille est continuatus, & non retractatur. v. g. si quis passus est se eligi

ad munus publicum, à quo erat immunis, aut passus est, electionem fieri absque suo suffragio, ad quod jus habebat, aut gabellam vel semel solvit, & post hunc actum suâ immunitate tempore ad præscribendum sufficienti usus non est, quia non erat occasio utendi. Contrarium dicendum est, si gabellam vel decimas semel aut iterum solvit, postea tamen intra tempus ad præscriptionem requisitum suâ immunitate usus est non solvendo, ut explicant Suar. *de LL. c. 35. n. 20.* & Palao *tr. 3. disp. 4. p. 19. n. 8.*

248 Ad casum *c. 8. de Constit. n. 245.* adductum, Responderetur, concessum fuisse illi Capitulo, ut Primiceriatûs dignitatem extingueret: quæ concessio unico actu extinctionis complebatur; unde si Capitulares postea Primicerium sponte elegerunt, adeoque dignitatem illam, quæ suapte naturâ perpetua est, resuscitârunt, censendi erant unico illo actu penitus renuntiâsse indulto Pontificio. Quidquid sit de alijs privilegijs, certum est ex *cit. c. 6. & 15. de Privil.* immunitatem à decimis non amitti, nisi exemptus eas solvat toto tempore ad præscribendum requisito.

249 Quæstio restat, quantum tempus requiratur ad præscribendum huic privilegio. Pugnare hîc inter se videntur *cit. c. 6. & c. 15.* nam *c. 6.* dicitur, debere exemptos Religiosos imposterum solvere decimas, si privilegio suo non usi per

annos 30. solverunt. *At. 15.* dicitur, debere eos posthac solvere, si per 40. annos solverunt. In priore ergo ad amissionem privilegij requiruntur anni solùm 30. in posteriore verò 40. tot videl. quot ad præscribendum contra Ecclesiam requiruntur juxta *c. 4. 6. & 8. de Prescript.* Varias hîc conciliationes moliantur tam Th. Th. quam Jurisperiti, præcipuè Garcias *de Nobilit. Gloss. 6. n. 35.* Barbola *de potest. Episc. alleg. 26. & in c. 6. de Privil. à n. 2.* Gonzal. *cod. n. 7.* Suar. *tit. c. 35. n. 21. & c. 20. de Decim. 4.* Multi cum Panorm. & Glossa ajunt, illud prius requirens annos solùm 30. correctum esse per posterius. Alij dicunt, in posteriore solùm agi de factò, & decidi amissum fuisse privilegium, quia exempti solverant per annos 40. non verò negari, minus tempus sufficere. Alij, ut Barbola & Gonzal. dicunt, illa capitula loqui de diversis casibus. Mihi dixisse sufficiat, juxta communem DD. ad præscribendum contra Religiosos exemptos requiri annos 40. idque usu confirmatum esse, ut testatur Suar. *tit. c. 35. n. 21. in fine, & cit. c. 20. n. 4.*

Illud non placet, quod Barbola ²⁵⁰ tenet in *cit. c. 6. n. 7.* sufficere ad amissionem privilegij, etiam Ecclesijs concessi longum tempus seu decennium, eò quòd censeantur renuntiâsse, si intra hoc tempus illo usæ non sunt. Nam imprimis *cit. c. 6. & 15.* non pauciores, quàm

quàm 30. aut 40. anni requiruntur: non ergo sufficiunt 10. Secundo, si intra decennium perditur, tunc vel vi præscriptionis, vel solum ratione tacitæ renuntiationis? Non prius: quia contra Ecclesiam non præscribitur, nisi 40. annis, ut patet ex c. 4. 6. & 8. de Præscript. vel saltem in hoc particulari casu de decimis annis 30. juxta c. 6. de Privil. nullibi enim ad præscribendum contra Ecclesias minus tempus requiritur. Non posterius: partim quia in hoc privilegio non habet locum expressa renuntiationo (ut multi tenent) cum sit in favorem Ecclesiæ & Religionis concessum; & consequenter multò minus sufficit tacita renuntiationo, quam etsi facere possit totus Ordo Religiosus, non tamen privata domus, ac Prælatus: partim quia si tacita & præsumpta renuntiationo absque præscriptione decimatoris sufficit, neque longo tempore seu decennio (quod tamen Barbosa requirit) opus erit, cum illa præsumi possit intra tempus longè minus & ex paucis actibus non interruptis. Neque ipsi favet communis opinio, quam adducit ex Gabriello tit. de Præscript. concl. 1. n. 3. illa enim solum dicit, quòd post decennium præsumatur intervenisse debita solemnitas in alienatione rerum Ecclesiæ. Qui casus, ut patet, nihil paritatis habet cum nostro. Hac de immunitate Religionis & in favorem Ecclesiæ concessa. Si conce-

ditur privata personæ, haud dubiè breviori tempore amittitur; partim quia contra hanc minore tempore præscribitur; partim quia non tantum expressè suo favori renuntiare potest, sed etiam tacitè, cum talis renuntiationo non sit contra, sed in favorem Ecclesiæ.

Assert. III. Privilegium non solvendi decimas cessat contrariâ partium conventionem, & pacto. Hunc modum tollendi privilegium assignant Alenis p. 3. g. 51. memb. 7. a. 2. Angel. Sylvest. aliique Summistæ V. Decima, & Canonistæ in c. 3. h. 2. Certum imprimis est, si pactum de solvendis decimis fuit antè privilegio, & in hujus petitione facta non est mentio pacti, ejus concessionem, tanquam subreptitiè obtentam, esse invalidam, ut deciditur tit. c. 3. Etsi enim privilegium ita semper interpretandum sit, ut aliquid de novo confectur ultra id, quod jure proprio competit illi, cui conceditur, ut constat ex c. 30. de Privil. & c. 10. cod. in 6. c. 19. de Appell. l. 109. de Legat. 1. quando tamen jure speciali vel privilegij, vel compositionis aliquid alteri competit, non censetur Princeps cum ejus detrimento privilegium cuiquam concedere, nisi factâ juris illius speciali mentione, ut supra dixi. Imò, ut observant Gloss. in l. 12. & l. fin. ff. ad S. C. Trebell. ac alij, etiam si Princeps expressè dicat, se concedere etiam cum præjudicio tertij, intel-

ligi

ligi debet de præjudicio solum modico; unde si hoc sit magnum, privilegium etiam sic concessum erit invalidum, saltem quatenus infert magnum præjudicium.

252 Quando verò pactum vel compositio sequitur privilegium ritè & validè obtentum, dubium videri potest, an per illam tollatur immunitas, si hæc in favorem Religionis data sit, videl. alicui Ecclesiæ vel Ordini Religioso. Ratio dubitandi est: quia tunc illa conventio ex parte Religionis foret expressa privilegij renuntiatio, quæ juxta multos DD. ut paulò antè dixi, fieri non potest. Verùm dicendum est, tale pactum validè & licitè fieri posse, & quod consequens est, per illud tolli immunitatem. Ratio patet: quia non est pactum naturâ suâ malum; non enim est Simoniacum, eò quòd

ista immunitas non sit aliquid spirituale; nec, uti ponitur, pro illa tollenda aliquid spirituale datur, nec aliunde Juri Naturæ, vel Divino, ac Justitiæ repugnat. Neque est vetitum Jure humano; imò hoc in multis casibus hujusmodi compositionem suadet ac mandat, ut patet ex c. 8. & 9. h. t. Neque obstat ratio in contrarium allata de renuntiatione: non enim est renuntiatio absoluta & liberalis (quæ sola vetita est) sed justa conventio, & Religioni, vel ad vitanda scandala, querelas, lites, vel alio ex capite, utilis & conveniens. Hinc ad eam non videtur necessaria confirmatio SS. Pontificis, vel alterius, nisi illius, qui ordinariam potestatem habet ad similia pacta debito modo ac cum, præscripta solemnitate facienda, ut benè observat Suar. *est.*

l. 20. n. 5.

CAPUT III.

De Exemptis per Consuetudinem.

QUÆSTIO I.

An à decimis eximat consuetudo non solvendi?

SUMMARIUM.

253. *Quæstionis difficultas & opinionum varietas.*

254. *Opinio quorundam, nec personales nec reales decimas consuetudine abrogari posse.*

255. *Alia, tenens, posse personales, non verò reales.*

256. *Tertia, posse etiam reales, sed non totas.*

257.